

**www.e-rara.ch**

**Origenis Adamantii, eximii scripturarum interpretis, opera, quae quidem extant omnia, per ... Erasmus Roterodamum partim versa, & vigilanter recognita, partim ab aliis ... translata ... cum ...**

**Origenes**

**Basileae, 1557**

**Stiftung der Werke von C.G.Jung, Zürich**

Shelf Mark: Online

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-9729>

Commentarius in canticum canticorum, qui ut est pius et eruditus, ita mea quidem sententia, hieronymi non est, nec Origenis, nec alicuius Graeci. [...].

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

audiente loquitur. Volumus autem & ipsius iam audire sermonē loquentis ad spōsam: Surge, ueni proxima mea, columba mea, & ueni columba mea sub tegmine petrae. Et Moyses sub tegmine petrae ponit, ut uideat posteriora dei. In tegmine antemuralis. Primum ueni ad id quod ante murū est, & postea poteris introire ubi murus est petra. Ostende mihi faciem tuam. Vsq; ad presentem diem similia dicuntur ad sponsam: necdū enim habebat fiduciā, ut reuelata facie gloriam domini cōtemplaretur. Quia uerò iam ornata est atq; composita, dicitur ei: Ostende mihi faciem tuam. Nōdum erat enim uox eius ita suavis, ut mereretur ei dici: Audire me fac uocem tuam. Quādo ergo didicit loqui: Tace enim ait, & audi Israel, & scito quid loquar: & suavis facta est uox eius spōso, secundum illud propheticū: Suavis fiat ei postulatio mea: tunc ad eam sponsus effat: Et audire me fac uocem tuam: quia uox tua suavis est. Si aperueris os tuū uerbo dei, dicit tibi sponsus: Vox tua suavis est, & aspectus tuus speciosus. Quapropter cōsurgentes de precemur dominū, ut digni efficiamur spōsi sermone, sapientia: Christo Iesu, cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Cant. 2  
Ibid.

Psal. 119

## COMMENTARIUS IN CANTICVM

CANTICORVM, QUI UT EST PIUS ET ERVDITVS, ITA MEA  
quidem sententiā, Hieronymi non est, nec Origenis, nec alicuius  
Græci. Vide censuram nostram.

### PROLOGVS

PITHALAMIVM libellus, id est nuptiale carmen, in modum, mihi uidetur dramatis à Solomone cōscriptus, quem cecinit instar nubentis sponsæ, & erga spōsum suum, qui est sermo dei, cœlesti amore flagrantis. Adamauit enim eum, siue anima quæ ad imaginē eius facta est, siue ecclesia. Sed & magnificus hic ipse atq; perfectus spōsus, quibus uerbis usus sit ad coniunctā sibi animam, uel ecclesiam, hæc ipsa scriptura nos docet. Sodales quoq; sponsæ adolescentule eum ipsa sponsa positæ quæ dixerunt, quæq; etiam amici ac sodales sponsi, ex eodē nihilominus libro, qui Canticum canticorum intitulatur, cognoscimus. Possibilitas enim data est etiam ipsis amicis sponsi aliqua dicere, ea duntaxat quæ audierant ab ipso sponso lætantes de coniunctione sponsæ. Fit ergo sermo ab ipsa sponsa, non solum ad sponsum, sed etiam ad adolescentulas: & rursum sponsi sermo non tantummodo ad sponsam, sed etiam ad amicos dirigitur spōsi. Et hoc est quod supra diximus, carmen nuptiale in modum dramatis esse cōscriptū. Drama enim dicitur multarum personarum cantilena, ut in scenis agi fabula solet, ubi diuersæ personæ introducuntur, & alijs accedentibus, alijs etiam discedentibus, à diuersis, & ad diuersos textus narrationis explet. Quæ singula suo ordine scriptura hæc continet, totūq; corpus eius mysticis format eloquijs. Sed primo scire nos oportet, quoniam sicut puerilis ætas non mouetur ad amorē possibilem, ita nec ad capiendū quidem uerba hæc, paruula & infantilis interioris hominis ætas admittitur, illorum scilicet qui lacte in Christo aluntur, nō cibo forti, & qui nūc primum rationale & sine dolo lac concupiscunt. In uerbis enim Cantici canticorū ille cibus est, de quo dicit Apolus: Perfectorū autē est solidus cibus: & tales requirit auditores, qui p possibilitate sumendi exercitatos habeant sensus ad discretionē boni & mali. Et quidē paruuli quos diximus, si ueniāt ad hæc loca potest fieri ut nihil quidem ex hac scriptura proficiant, nec tamen ualde lædant, uel ipsa quæ scripta sunt legentes, uel quæ ad explanationē eorum dicenda sunt, recensentes. Si uerò aliquis accesserit, qui secūdū carnem tantūmodo uir est, huic tali non parum ex hac scriptura discriminis, periculūq; nascetur. Audire em̄ pure & castis auribus amoris nomina nesciēs, ab interiori homine ad exteriorē & carnalem uirum omnem deflectet auditum, & à spiritu conuertetur ad carnē, nutrietq; in semetipso cōcupiscentias carnales, & occasione diuinæ scripturæ cōmoueri & incitari uidebitur ad libidinē carnis. Ob hoc ergo moneo, & cōsiliū do omni qui nōdū carnis & sanguinis molestijs caret, neq; ab affectu nature materialis abscedit,

Heb. 5

Orig. to, 1

Aa

ut à le-

ut à lectione libelli huius eorumq; quæ in eo dicentur, penitus temperet. Aiunt em̄ obseruari etiam apud Hebræos, quod nisi quis ad ætatem perfectã maturamq; peruenerit, libellum hunc ne quidẽ in manibus tenere permittat. Sed & illud ab eis accepimus custodiri, quando quidẽ moris est apud eos omnes scripturas à doctõibus & à sapiẽtibus tradi pueris, simul & eas quas *διδασκαλίας* appellant, ad ultimũ quatuor ista obseruari, id est principũ Genesis, in quo mundi creatura describitur, & Ezechielis pphetae principia, in quibus de Cherubim refertur, & finem in quo templi ædificatio continetur, & hunc Cãtici canticorũ librum. Igitur necessarium mihi uidetur, anteq; ad ea quæ in hoc libello scripta sunt, discutiẽda ueniamus, de amore prius ipso qui est scripturę huius causa præcipua, pauca differere, & post hæc de ordine librorũ Solomonis, in quib. hic liber tertio loco positus uidetur. tum etiam de articulatione libelli ipsius, cur Canticũ canticorum superscriptus sit: atq; etiam quomodo dramatis in modum, & tanquã fabula quæ in scenis personarũ immutatione agi solet, uideatur esse compositus. Apud Græcos qui dẽ plurimi eruditorũ uirorũ uolentes inuestigare ueritatis indaginẽ, de amoris natura multa ac diuersa etiam dialogorũ stilo scripta protulerũt, conantes ostendere nõ aliud esse amoris uim, nisi quæ animã de terris ad fastigia cœli celsa perducatur, nec ad summã posse beatitudinem perueniri, nisi amoris desiderio prouocante. Sed & quæstiones de hoc quasi in cõuiujs propositæ referuntur, inter eos puto inter quos nõ ciborũ, sed uerborum cõuiuũ gerebatur. Alij uerò etiam artes quasdam quibus amor hic in anima gigni uel augeri posse uideatur, conscriptas reliquerunt. Sed has artes carnales homines ad uitiosa desideria, & culpabilis amoris ministeria traxerunt. Non ergo mirũ sit, si & apud nos ubi quãto plures simpliciores, tanto plures & imperitiores uident, difficilẽ diximus & periculo pximã de amoris natura disputationẽ: cum apud Græcos qui eruditi & sapientes uident, fuerint tamen aliqui qui de his non ita acceperint, ut scriptũ est, sed occasione eorũ quæ de amore dicta sunt, in lapsus carnis & in impudicitia præcipitia corruerũt, siue ex his quæ scripta erant (ut supra memorauimus) admonitiones quasdam & incitamenta fumentes, siue incontinentia suæ uelamen scriptis ueterũ præferentes. Ne ergo & nos tale aliqd incurramus, ea quæ à ueteribus bene & spiritaliter scripta sunt, uitiose & carnaliter aduertentes, tã corporis q; animæ nostræ palmas, ptendamus ad deum, ut dominus qui dedit uerbum euangelizantibus uirtute multa, donet & nobis in uirtute sua uerbũ quo possimus ex his quæ scripta sunt, intellectum sanũ, & ad ædificationem pudicitia aptũ, uel nomini ipsi, uel naturæ amoris ostendere. In principio uerborũ Moyse, ubi de mudi conditione cõscribitur, duos inuenimus homines creatos referri. Primũ ad imaginẽ & similitudinẽ dei factum, secundũ è limo terræ factum. Hoc Paulus apostolus bene sciẽs, & ad liquidũ in his eruditus, in suis literis apertius & euidẽtius binos esse & per singulos quosq; homines scripsit. Sic enim dixit: Nam si is q; foris est homo noster corrumpitur, sed ille qui intus est, renouatur de die in diem. Et iterum: Condelector enim legi dei secundũ interiorem hominem. & his similia quanta cõscribit. Vnde puto neminem iã debere dubitare, quod Moyses de duorũ hominũ factura uel figmento scripserit in principio Genesis, cũ uideat Paulũ qui melius utiq; q; nos intelligebat ea quæ à Moyse scripta sunt, duos homines esse per singulos quosq; dicentẽ. Quorũ unum, id est interiorem, renouari per singulos dies memorat: alterũ uerò, id est exteriorẽ, in quibusdã sanctis, & talibus qualis erat Paulus, corrumpi perhibet & infirmari. Quòd si alicui uidebit de hoc adhuc aliquid dubitandũ, in locis pprijs melius explanabit. Nunc autem propter quid memoriã fecerimus interioris & exterioris hominis, psequamur. Ostendere enim ex his uolumus, quod scripturis diuinis per homonymias, id est per similes appellationes, imò per eadẽ uocabula, & exterioris hominis mēbra, & illius interioris hominis partes affectusq; nominant, eaq; nõ solũ uocabulis, sed & rebus ipsis sibi inuicẽ comparantur. Verbi gratia, uetatur aliquis esse puer secundũ interiorem hominẽ, quẽ possibile est crescere, & ad gratẽ iuuenis adduci, atq; inde succedentibus incrementis peruenire ad uirum perfectũ, & effici patrem. His autem nominibus uti uolumus, ut consona diuinę scripturę, illi scilicet quæ ab Ioãne scripta est, uocabula poneremus. Ait enim ille: Scripsi uobis pueri, quoniã cognouistis patrẽ: scripsi uobis patres, quoniã cognouistis eũ qui ab initio est. Scripsi uobis iuuenes, quoniã fortes estis

estis, & per uerbū dei quod manet in cœlo, uicistis malignū. Euidens utiq; est nec ab ullo arbitror omnino dubitari, quod pueros hic Ioannes uel adolefcētes, uel iuuenes, uel etiam patres secundū animā, non secundū corporis appellet ætatē. Sed & Paulus dicit in quodā loco: Non potui uobis loqui quasi spiritalibus sed quasi carnalibus, tanq; paruulis in Christo lac uobis potū dedi, non escam. In Christo autem paruuli proculdubio secundū animā, non secundū carnis nominantur ætatē. Deniq; idem Paulus etiam in alio loco ait: Cum essem paruulus, loquebar sicut paruulus, sicut paruulus sapiebā, sicut paruulus cogitabam: Cū aut factus sum uir, destruxi quæ erant paruuli. Et iterū alibi dicit: Donec occurramus omnes in uirū perfectū, in mensurā ætatis plenitudinis Christi. Scit enim occursuros esse omnes qui credūt in uirū perfectū, & in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Igitur sicut hæc quæ memorauimus ætatū nomina, eisdem uocabulis & exteriori homini ascribuntur & interiori: ita inuenies etiam membrorū nomina corporaliū transferri ad animæ membra, seu potius efficientiæ hæc animæ affectusq; dicendi sunt. Dicit ergo in Ecclesiaste: Sapientis oculi in capite eius. Item in Euangelio: Qui habet aures audiendi, audiat. In Prophetis quoq;: Sermo domini qui factus est in manu prophætæ Hieremiæ, siue alterius cuiuslibet. Simile est etiam illud quod ait ille: Pes autem tuus non offendit. Et iterū: Mei aut paulo minus moti sunt pedes. Euidenter quoq; & uenter animæ designat, ubi dicit: Domine à timore tuo in utero concepimus. Nam inde quis dubitet, cum dicit: Sepulchrū patens est guttur eorū? Et iterū: Præcipita domine, & diuide linguas eorū. Sed & id quod scriptū est: Dentes peccatorū contriuiisti. Et iterum: Contere brachiū peccatoris & maligni. Et quid opus est me de his plura colligere, cū abundantissimis testimonijs scripturæ diuinæ repleta sint? Ex quibus euidenter ostenditur membrorū hæc nomina nequaquam corpori uisibili aptari posse, sed ad inuisibilis animæ partem uirtutesq; debere reuocari: quoniam & uocabula quidē habent similia, aperte aut & sine ulla ambiguitate non exterioris, sed interioris hominis significantias gerūt. Est ergo materialis huius hominis, qui & exterior appellat, cib. potusq; naturæ suę cognatus, corporeus iste scilicet, & terrenus. Similiter aut & spiritalis hominis ipsius qui & interior dicit, est proprius cibus, ut panis ille uiuus qui de cœlo descendit. Sed & potus ille est ex illa aqua quā promittit Iesus, dicens: Quicumq; biberit ex hac aqua quam ego do ei, non sitiet in æternum. Sic ergo per omnia similitudo quidem uocabulorū secundū utrūq; hominē ponitur: rerū uerò proprietates unicuiq; discreta seruat, & corruptibili corruptibilia præbent, incorruptibili uerò incorruptibilia proponuntur. Vnde accidit, ut simpliciores quidam nescientes distinguere ac secernere quę sint quę in scripturis diuinis interiori homini, quę uerò exteriori deputanda sint, uocabulorū similitudinib. falsi ad ineptas quasdam fabulas & figmenta inania se contulerint: ut etiam post resurrectionē cibis corporalib. utendū crederent, potūq; sumendum non solū ex illa uite uera, & uiuente in secula, uerū & ex his uitib. ligni. Sed de his aliàs uidebimus. Nūc ergo (ut præcedenti obseruatione distinximus) est quidē secundū interiorem hominē alius sine filijs & sterilis, alius uerò abūdans in filijs. Secundum quod & illud aduertimus dictū: Sterilis peperit septem, & sæcunda in filijs infirmata est. Et ut in benedictionibus dicit: Non erit in uobis sine filijs & sterilis. Igitur si hæc ita se habent, sicut dicit aliquis carnalis amor, quem & Cupidinem appellauerūt poetę, secundum quem qui amat, in carne seminat; ita est & quidam spiritalis amor, secundū quem ille interior homo amans in spiritu seminat. Et ut euidentius dicam, si quis est qui portat adhuc imaginē terreni, secundū exteriorē hominē, agitur cupidine & amore terreno. Qui uerò portat imaginē cœlestis secundū interiorē hominē, agit cupidine & amore cœlesti. Amore aut & cupidine cœlesti agit anima cū perspecta pulchritudine & decore uerbi dei speciem eius adamauerit, & ex ipso telū quoddā & uulnus amoris acceperit. Est enim uerbū hoc imago, & splendor dei inuisibilis primogenitus omnis creature, in quo creata sunt omnia quę in cœlis sunt, & quę in terris, siue uisibilia, siue inuisibilia. Igitur si quis potuerit capaci mente coniungere & considerare horū omniū quę in ipso creata sunt decus & speciē, ipsa rerū uenustate percussus, & splendoris magnificentia ceu saculo (ut ait Propheta) electo terebratus, salutare ab ipso uulnus accipiet et beato igne amoris eius ardebit. Oportet etiam nos illud scire, quod illicitus amor, & contra legē,

Orig. to. 1

Aa z sicut

1 Cor. 3

1 Cor. 13

Eph. 4

Ecc. 2

Matt. 13

Hier. 20

Psal. 91. 73

Psal. 55

58

9

104n. 4

Hier. 15

Exod. 23

sicut accidere potest homini exteriori, uerbi gratia, ut non sponsam uel coniugē amet, sed aut meretricē, aut adulteram: ita & interiori homini, hoc est animæ, accidere potest amor, non in legitimum sponsum quem diximus esse uerbum dei, sed in adulterum aliquem & corruptorem. Quod sub hac eadem figura euidenter declarat Ezechiel ppheta, ubi Oollam & Oolibā introducitur sub specie Samariæ & Hierusalē, adulterino amore corruptas, sicut locus ipse scripturæ prophetice ostendit uolentib. plenius scire. Exar descendit autem etiam hic spiritalis amor animæ, aliquñ quidem ut edocuius erga aliquos spiritus nequitia, aliquando erga spiritum sanctum. & uerbum dei, qui est spōsus fidelis, & eruditæ animæ uir dicitur, & cuius ipsa spōsa in hac præcipue scriptura quæ habetur in manibus, nominatur, sicut præstante domino, plenius ostendemus, cum uerba ipsius libelli explanare cœperimus. Videtur autē mihi diuina scriptura, uolēs cauere ne lapsus aliquis legentibus sub amoris nomine nasceretur, pro infirmioribus quibusq; eū qui apud sapiētes seculi Cupido, seu amor dicitur, honestiori uocabulo charitatem uel dilectionem nominasse. Verbi gratia, ut cum dixit de Isaac: Et accepit Rebeccā, & facta est ei uxor, & dilexit eam. Et iterum de Iacob & Rachel similiter dicit scriptura: Rachel autem erat decora oculis, & pulchra facie, & dilexit Iacob Rachel, & dixit, seruiam tibi septem annis pro Rachel filia tua iuniore. Euidētius autem immutatus usus uocabuli huius apparet in Amnon, qui adamauit sororem suam Thamar. Scriptum est enim: Et factum est post hæc, & erat Absalon filio Dauid soror decora facie ualde, & nomē ei Thamar, & dilexit eā Amnon filius Dauid. dilexit posuit pro adamauit. Et tribulabatur, inquit, Amnon, ita ut infirmaretur propter Thamar sororem suam: quoniā uirgo erat, & graue uidebatur in oculis Amnon facere ei aliquid. Et post pauca de uiolentia quā intulit Amnon Thamar sorori suæ, ita dicit scriptura: Et noluit Amnon audire uocē eius, sed inualuit super eam, & humiliauit eam, & dormiuit cū ea, & odiuit eam odio Amnō magno ualde. quoniam maius erat odium quo oderat eā, q̄ dilectio qua dilexerat eā. Et in his ergo, & in pluribus alijs locis inuenies scripturam diuinā refugisse amoris uocabulū, & charitatis dilectionisq; posuisse. Interdum (licet raro) proprio tamē uocabulo amorem nominat, & inuitat ad eum atq; incitat animas, ut cū dicit in Prouerbijis de sapientia: Adama eam, & seruibit te: circumda eam, & exaltabit te: honora eam, & complectetur te. Sed & in eo libello qui dicitur sapientia Solomonis, ita scriptū est de ipsa sapientia: Amator factus sum decoris eius. Arbitror autē quod ubi nulla lapsus uidebat occasio, ibi tantum nomen amoris inseruit. Quid enim passibile, aut quid indecorū possit aliquis aduertere in amore sapiētie, uel in eo qui se amatore profiteatur esse sapiētiae? Nam si dixisset, quia adamauit uel Isaac Rebeccā, uel Iacob Rachel, passio utiq; aliqua indecora per hæc uerba erga sanctos dei homines potuisset intelligi, apud eos præcipue qui nesciunt à litera cōscendere ad spiritū. Apertissime autem in hoc ipso libello qui habetur in manibus, amoris nomen charitatis uocabulo permutatū est, in eo ubi dixit: Ad iurauit uos filia Hierusalē, si inueneritis fratrualem meum, ut annuncietis ei, quia uulnerata charitatis ego sum: pro eo utiq; ut diceret: Amoris eius telo percussa sum. Nihil ergo interest in scripturis diuinis, utrum charitas dicat, an amor, uel dilectio: nisi quod in tantum nomen charitatis extollitur, ut etiam ipse deus charitas appelletur, sicut Ioānes dixit: Charissimi diligamus inuicē, quia charitas ex deo est, & omnis qui diligit, ex deo natus est, & cognoscit deum: qui autem non diligit, nō cognoscit deum, quia deus charitas est. Et quāuis alterius temporis sit dicere aliquid de his quæ exēpli causa ex Ioānis epistola protulimus, tamen breuiter etiā aliqua perstringere, non est uisum absurdū. Diligamus, inquit, inuicē, quia charitas ex deo est. & post pauca: Deus charitas est. In quo ostendit & ipsum deum charitatē esse, & iterum eum qui ex deo est, charitatē esse. Quis autem ex deo est, nisi ille qui dicit: Ego ex deo exiui, & ueni in hunc mundū? Quod si deus pater charitas est, & filius charitas est: charitas autē & charitas unū est, & in nullo differt: cōsequenter ergo pater & filius unum bene dicunt. Et ideo conuenienter Christus sicut sapientia, & uirtus, & iustitia, & uerbū, & ueritas, ita & charitas dicit. Et ideo dicit scriptura: Quia si charitas manet in uobis, deus in uobis manet. Deus autē, id est pater & filius, qui & ueniunt ad eum qui perfectus in charitate est, secundū uerbū domini & saluatoris dicentis: Ego & pater ueniemus ad eum, & mansionē faciemus apud eū.

Scien-

Sciendum ergo est, quòd hæc charitas quæ deus est, cum in aliquo fuerit, nihil terrenū, nihil materiale, nihil corruptibile diligit. Cōtra naturam nanq; est ei corruptibile aliqd diligere, cum ipsa sit incorruptionis fons. Ipsa est enim sola quæ habet immortalitatē. Si quidē deus charitas est, qui solus habet immortalitatē, lucē habitās inaccessibilē. Quid autem aliud immortalitas nisi uita æterna est, quam daturum se promittit deus credētib; in ipsum solum uerum deum, & quem misit Iesum Christū filiū eius? Propterea ergo in primis, & ante omnia hoc amabile & placitū dicitur esse deo, ut quis diligit dominum deum suum ex toto corde suo, & ex tota anima sua, & ex totis uiribus suis. Et quia deus charitas est, & filius qui ex deo est, charitas est, sui simile aliquid requirit in nobis: ut hanc charitatē quæ est in Christo Iesu, qui est charitas, uelut cognata quadam per charitatis nomen affinitate sociemur: sicut & ille qui iam conūctus ei dicebat: Quis nos se parabit à charitate dei, quæ est in Christo Iesu domino nostro? Hæc autē charitas omnē hominem proximū diligit. Ob hoc em̄ arguit Saluator quendam, qui opinabatur quòd iusta anima erga eam quæ iniquitatib; inuoluta est, propinquitatis iura nō seruet: & ista de causa texuit istam parabolam, quæ dicit, quod in latrones incidit quidā, dum descendit ab Hierusalem in Hiericho: & culpat quidem sacerdotem ac leuitam, qui uidentes seminecem, præterierunt: amplectit̄ autem Samaritanū qui misericordiam fecerit, & hūc fuisse ei proximum ipsius qui proposuerat responsione firmavit, & ait ei: Vade, & tu fac similiter. Etenim natura omnes nobis inuicē proximi sumus. Operibus uerò charitatis fit proximus ille qui potest benefacere, ei q nō potest. Vnde & Saluator noster factus est proximus nobis, nec pertransiuit nos cum semineces ex latronum uulneribus iaceremus. Igitur sciendum est dei charitatē semper ad deum tendere, à quo originem duxit, & ad proximū respicere, cū quo participium gerit, utpote similiter creatā in corruptione. Sic ergo quæcūq; de charitate scripta sunt, quasi de amore dicta suscipe, nihil de nominibus curans. Eadem nanq; in utroq; uirtus ostenditur. Quod si quis dicat, quia & pecuniam, & meretricem, & alia similiter mala eodē uocabulo quod à charitate duci uidentur, diligere appellamur: sciendum est in his non proprie, sed abusiue charitatē nominari. Sicut (uerbi gratia) & deus nomen principaliter in eo est, ex quo omnia, & per quem omnia, & in quo omnia. quod utiq; aperte uirtutem, & naturam trinæ singularitatis denunciat. Secundo uerò in loco, & (ut ita dixerim) abusiue deos dicit scriptura etiā illos ad quos sermo dei fit, sicut confirmat Saluator in euāgelijs. Sed & cœlestes uirtutes sub hoc nomine appellari uidentur, dum dicitur: Deus stetit in synagoga deorū, in medio autem deos dijudicat. Tertio uerò in loco iam non abusiue, sed falso, dij gētium dæmones appellantur, cum dicit scriptura: Omnes dij gentium dæmonia. Itaq; & primum charitatis nomen in deo est, propter quod iubemur diligere deū ex toto corde nostro, ex tota anima nostra, & ex totis uiribus nostris, utpote eum à quo habemus hoc ipsum, ut diligere possimus. In ipso iam sine dubio cōtinetur, ut & sapientiam, & iustitiam, & pietatē & ueritatem, omnesq; uirtutes pariter diligamus. Vnum em̄ atq; idem est diligere deū, & diligere bona. Secūdo loco, quasi abusiuo & inde deriuato nomine, etiā proximū diligere iubemur, tanquam nos ipsos. Tertium uerò est quod falso sub charitatis titulo nominatur, diligere uel pecuniam, uel uoluptates, uel omne quicquid ad corruptelā pertinet & errorem. Non ergo interest utrū amari dicatur deus, an diligi. Nec puto quod culpari possit si quis deum sicut Ioannes charitatem, ita ipse amorem nominet. Deniq; meminī aliquem sanctorū dixisse Ignatium nomine de Christo: Meus autem amor crucifixus est: nec reprehendī eum pro hoc dignū iudico. Sciendum autē quod omnis qui uel pecuniam diligit, uel ea quæ in mūdo sunt materiæ corruptibilis, uirtutē charitatis quæ ex deo est, ad terrena & ad caduca deducit, & rebus dei abutit̄ ad ea quæ nō uult deus. Nō em̄ deus dilectionem horum, sed usum hominibus dedit. Hæc autem paulo latius discussimus, uolentes de natura charitatis & amoris apertius attentiusq; distinguere, ne forte quoniam scriptura dicit, quia deus charitas est, omne quod diligitur etiā si corruptibile sit, ex deo esse, & hoc charitas & dilectio putare. Sed ostēditur res quidem dei, & munus eius esse charitas, non tamen semper ab hominibus, ad ea quæ dei sunt, & quæ deus uult, opus eius assumi. Sed & hoc scire oportet, quod impossibile est, ut nō semper humana natura aliquid amet. Omnis nanq; qui ad id ætatis uenerit, quam pubertatē uo

cant, amat aliquid seu minus recte, cum amat quæ nō oportet: seu recte & utiliter, cum  
 amat quæ oportet. Verum nonnulli hunc amoris affectū, qui animę rationabili insitus  
 est beneficio conditoris, aut ad amorem pecuniæ trahūt & avaritiæ studiū, aut erga glo  
 riam captandam, & fiunt inanis gloriæ cupidi: aut erga scorta sectāda, & inueniunt im  
 pudicitiaē libidinisq; captiui: aut ad alia his similia uirtutē tāti boni huius effundūt. Sed  
 & cum erga diuerfas artes amor iste ducitur, quæ manu ministrantur, aut per studia præ  
 sentis uitæ non solum necessaria, ut (uerbi gratia dixerim) erga artem palæstricā, uel cur  
 sus exercitia, aut certe etiam erga geometricam, uel musicam, uel arithmeticam cōferūt,  
 atq; ad alias uel huiuscemodi disciplinas, nec sic quidem mihi uidetur usus eius p̄abili  
 ter sumi. Si enim quod bonum est, hoc & probabile est: bonum autem proprie nō erga  
 usus corporeos, sed in deo primū & animi uirtutib. intelligitur: consequenter ille amor  
 probabilis est, qui deo & animi uirtutibus coaptat. Et hoc ita se habere definitione ip  
 sius saluatoris ostenditur, ubi interrogatus à quodam, quod esset mandatum omniū ma  
 ximum, & primum in lege, respondit: Diliges dominū deum tuum ex toto corde tuo, &  
 ex tota anima tua, & ex totis uiribus tuis. Secundū uerò simile est illi: Diliges proximū  
 tuum sicut teipsum. Et adiecit: In his duobus mandatis omnis lex pendet & prophetæ:  
 ostendens per hæc duo iustum amorem legitimūq; cōstare, atq; in his uniuersam legē  
 prophetasq; pendere. Sed & quod ait: Nō adulterabis: Nō occides: Nō furtū facies: Nō  
 falsum testimoniū dices, & si quod aliud mandatū, in hoc uerbo restauratur, in quo ait:  
 Diliges proximū tuum sicut teipsum. quod hoc modo facilius explanabitur. Ponamus  
 uerbi gratia, mulierem amore alicuius uiri ardentē, cupientemq; in consortiū eius ascif  
 ci, nōne omnia ita ager, & omnes motus suos ita temperabit, ut scit illi placere quem di  
 ligit: ne forte si in aliquo contra uoluntatem illius egerit, consortia eius uir ille optimus  
 refutet atq; spernat? Poteritne hæc mulier quę erga amorē uiri illius toto corde, tota ani  
 ma, totisq; uiribus feruet, aut adulterium cōmittere, quæ eum nouerit amare pudicitiaē  
 aut homicidium, quæ eum nouerit mitem? aut furtū, quæ ei sciat liberalitatem placere?  
 aut concupiscet aliena, quæ omnes suas cōcupiscentias erga amorem uiri illius habeat  
 occupatas? Sic ergo in charitatis perfectione, & omne mandatum restaurari dicif, & le  
 gis uirtus prophetarumq; pendere. Propter istud charitatis uel amoris bonū sancti, nec  
 in tribulatione angustiantur, nec a poriatu exaporiantur, nec deiecti pereūt, sed quod in  
 præsentia est momentaneum, & leue tribulationis eorū supra modum æternum gloriæ  
 pondus operat illis. Non em̄ omnibus, sed Paulo, & his qui ei similes sunt, præsens hæc  
 & momentanea ac leuis dicitur tribulatio: quia perfectam charitatem dei in Christo Ie  
 su per spiritum sanctum habent in corde suo diffusam. Sic deniq; & Iacob patriarchā a  
 mor Rachel per septem annos cōtinuos in laboribus positum diurni æstus, & nocturni  
 frigoris ustionem sentire non siuit. Sic ipsum Paulum in amore huius incēsum audito di  
 centem: Charitas omnia patitur, omnia credit, omnia sperat, omnia tolerat, charitas nū  
 quam cadit. Nihil ergo est quod non toleret, qui perfecte diligit. Plura autem quādo nō  
 toleramus, certum quod ob hoc quia charitatem quæ omnia tolerat, nō habemus. Et si  
 non ferimus aliqua patienter, idcirco est quia charitas nobis deest, quæ omnia patit. In  
 luctamine quoq; eo quod est nobis aduersus diabolū, quod frequenter cadimus, nō du  
 bium est quin ob hoc fiat quod non est in nobis charitas illa quę nunquam cadit. Hunc  
 ergo amorem loquitur præsens scriptura, quo erga uerbum dei anima beata utitur, & in  
 flammatur: & istud Epithalamij carmen per spiritum canit quo ecclesia sponso cœlesti  
 Christo coniungitur ac sociatur, desiderans misceri ei per uerbum, ut cōcipiat ex eo, &  
 saluari possit per hanc castam filiorum generationem, cum permanferint in fide, & san  
 ctitate cum sobrietate: utpote cōcepti ex semine quidē uerbi dei, editi uerò genitiq; uel  
 ab immaculata ecclesia, uel ab anima nihil corporeum, nihil materiale requirēte, sed so  
 lo uerbi dei amore flagrāte. Hæc interim nobis ad præsens de amore, uel charitate, quæ  
 in Epithalamio hoc Cantici canticorum refertur, occurrere potuerunt. Sed sciendū est  
 tam multa esse quæ dici debeant de charitate hac, quanta & de deo: siquidē ipse est cha  
 ritas. Scit enim nemo patrem nisi filius, & cui uoluerit filius reuelare. Similiter autē etiā  
 ipsum filium, quoniam & ipse charitas est, nemo scit nisi pater, & secūdū hoc quod cha  
 ritas dicitur. Solus autem spiritus sanctus est, qui ex patre p̄cedit, & ideo scit quę in deo  
 sunt

sunt, sicut spiritus hominis scit quæ in homine sunt. Hic ergo paracletus, spiritus veritatis, qui de patre procedit, circuit quærens si quas inueniat dignas & capaces animas, qui bus reuelet magnitudinē charitatis huius quæ ex deo est. Nūc ergo iam ipsum deum patrem, qui charitas est, inuocātes, per eam quæ ex ipso est charitatē, etiam ad reliqua discutienda ueniamus. Et tentemus primum de eo requirere quid illud sit, quod cū tria uoluntina ecclesia dei à Salomone scripta susceperit, primus ex ipsis Prouerbiorū liber positus sit, secundus is qui Ecclesiastes appellatur, tertio uerò in loco Cātici canticorū uolumentum habeatur. Quæ ergo nobis occurrere possint in hoc loco, ista sunt. Generales disciplinæ quibus ad rerū scientiam peruenitur tres sunt, quas Græci Ethicam, Physicam, & Theoricen appellauerūt, nos has dicere possumus moralem, naturalem, & inspectiuam. Nonnulli sanē apud Græcos etiam Logicē, quā nos rationalem possumus dicere, quæ to in numero posuere. Alij non extrinsecus eam, sed per has tres quas suprā memorauimus disciplinas innexam cōsertam q̄ per omne corpus esse dixerūt. Est enim Logice, & uelut nos dicimus rationalis, quæ uerborū, dictorūq̄ uidetur cōtinere rationes, proprietatesq̄, & improprietates, genera q̄, & species, & figuras singulorū quoq̄ edocere dictorum: quam utiq̄ disciplinā, non tam separari, quā in se ceteris conuenit & intexi. Moralis autem dicitur per quam mos uiuendi honestus aptatur, & instituta ad uirtutem tendentia preparantur. Naturalis dicitur ubi uniuscuiusq̄ rei natura discutitur, quo nihil cōtra naturam geratur in uita, sed unum quodq̄ his uisibus deputeē, in quos à creatore productum est. Inspectiua dicitur, qua supergressi uisibilia, de diuinis aliquid & cœlestibus contemplamur, eaq̄ sola mente intuemur, quoniam corporeum supergrediuntur aspectum. Hæc ergo ut mihi uidetur sapientes quicq̄ Græcorum sumpta à Salomone, utpote qui ætate & tempore longe ante ipsos prior ea per dei spiritū didicisset, tãquam propria inuenta protulerunt, & institutionum suarum uoluminibus comprehēsa posteris tradēda reliquere. Sed hæc ut diximus Salomon ante omnes inuenit, & docuit per sapientiā quam accepit à deo, sicut scriptum est. Et dedit deus prudentiam Salomoni, & sapientiam multam ualde, & latitudinem cordis sicut arenam quæ est ad oram maris, & multiplicata est in eo sapientia super omnes antiquos filios hominum, & super omnes sapientes Ægypti. Salomō ergo tres istas, quas suprā diximus generales esse disciplinas, id est moralem, naturalem, & inspectiuam, distinguere ab inuicem ac secernere uolens, tribus eas libellis edidit suo quoq̄ ordine singulis consequenter aptatis. Primo ergo in Prouerbijis moralem docuit locum, succinctis (ut decuit) breuibusq̄ sententijs uitæ instituta cōponens. Secundam uerò quæ naturalis appellatur, cōprehendit in Ecclesiaste. In quo multa de rebus naturalibus differens, & inania ac uana ab utilibus necessarijsq̄ secernens, relinquendā uanitatem monet, & utilia rectaq̄ secunda. Inspectiuū quoq̄ locum in hoc libello tradidit, qui habetur in manibus, id est in Cantico canticorū, in quo amorem cœlestium, diuinorumq̄ desideriu incutit animæ sub specie sponsæ ac spōsi, charitatis & amoris uis perueniendū docens ad consortium dei. Hoc uerò eum ueræ philosophiæ fundamentū ponentem, & ordinem disciplinarū, institutionumq̄ condentem, quod nō latuerit, neq̄ ab eo abiectus sit etiam rationalis locus, euidenter ostēdit in principio statim Prouerbiorum suorum. Primo omnium per hoc ipsum quod Prouerbia attitulauit libellum suum, quod utiq̄ nomē significat aliud quidem palām dici, aliud uerò intrinsecus indicati. Hoc enim & cōmunis usus prouerbiorum docet, & Ioannes in Euāgelio saluatorem ita scribit dicentem: Hæc in prouerbijis locutus sum uobis, ueniet hora cū iam nō in prouerbijis loquar uobis: sed manifeste de patre annunciem uobis. Hæc interim in ipsa tituli inscriptione. In sequenti uerò statim subiungit discretionē sermonis, & distinguit scientiam à sapientia, & à sapientia disciplinam, & intellectum uerborū aliud ponit: & prudentiam dicit in eo esse, ut excipere quis possit uerborum uersutiam. Distinguit etiam iustitiam uerā à directione iudicij: sed & astutiam nominat quādā his quos imbuit necessariā, illam credo per quā sophismatū intelligi ac declinari possit argutia. Et ideo dicit innocentibus per sapientiā dari astutiam, sine dubio ne in uerbo dei decipiātur fraude sophistica. Sed in hoc mihi uidetur rationalis disciplinæ meminisse, per quā doctrina uerborum, dictorumq̄ significantiæ discernantur, & uniuscuiusq̄ sermonis proprietas certa cū ratione distinguitur. In qua præcipue erudiri cōuenit pueros. Hoc enim hortatur, cum dicit:

*Solomonis librorū tractatus.*

*T. a.*

*ii. b. iii. c.*

*Disciplina principis quæ.*

*Logica.*

*Moralis.*

*Naturalis.*

*Metaphysica.*

*Græcos hinc sua à S.*

*3 Reg. 4. Quarta Salomon*

*In Solomonis prouerbijis quid dicitur?*

*In Ecclesiaste quid.*

*In Cantico quid.*

*Ioan. 16*

- Dan. 13** Ut det puero iuniori sensum, & cogitationē. Et quia qui in his eruditur, necessario ratio-  
nabiliter per ea quæ didicit semetipsum gubernat, & uitam suam moderatius librat, pro-  
pterea dicit: Intelligēs autem gubernacula acquirēt. Post hæc uerò cognoscēs in uerbis  
diuinis quibus per prophetas humano generi traditus est ordo uiuēdi, diuersos esse elo-  
quij tropos, & uarias dicēdi species: ac sciens haberi in eis aliquam figuram, quæ Parabo-  
la appelletur, & aliam quæ obscura dictio uocetur, aliasq; quæ ænigmata nominētur, &  
alias quæ dicta sapientum dicantur, scribit: Intelliges quoq; parabolam, & obscurum ser-  
monem, dictaq; sapientū & ænigmata. Per hæc ergo singula, rationalē locum manifeste  
& euidenter exponit, ac more ueterum succinctis breuibusq; sententijs ingentes & per-  
fectos explicat sensus. Quæ si quis est qui in lege domini meditetur die ac nocte, & si qs  
est sicut iusti os quod meditatatur domini sapientiam, inuestigare diligentius poterit, & in-  
uenire: si tamen recte quis ierit, & quærens pulsauerit ostiū sapientiæ, petēs à deo ut ape-  
riatur sibi, & mereatur accipere per spiritum sanctum uerbum sapientiæ, uerbum scien-  
tiæ, fieriq; particeps illius sapientiæ quæ dicebat: Extēdebam enim uerba mea, & non au-  
diebatis. Et merito extendere se dixit uerba in eius corde, cui dederit deus (sicut suprā di-  
ximus) latitudinem cordis. Dilatatur nāq; illius cor qui potest ea quæ breuiter in myste-  
rijs dicta sunt, latiore doctrina sumptis ex uoluminibus diuinis assertionib. explanare.  
Oportet igitur secundum hanc eandem sapientissimi Solomonis doctrinā eum qui sa-  
pientiā scire desiderat, incipere ab eruditiōe morali, & intelligere illud quod scriptū est:
- Ecc. 1** Concupisti sapientiā, serua mādata, & dominus dabit eam tibi. Ob hoc magister hic qui  
primus homines diuinam philosophiam docet, operis sui exordiū prouerbiorū posuit li-  
bellum, in quo (ut diximus) moralis traditur locus: ut cū intellectu, moribusq; quis pro-  
fecerit, ueniat etiam ad naturalis intelligentiæ disciplinā, atq; ibi rerum causas naturasq;  
distinguens agnoscat uanitatē uanitatū relinquēdam, ad æterna autem & perpetua  
properandū. & ideo post Prouerbia, ad Ecclesiasten uenitur, qui docet (ut diximus) uisi-  
bilia omnia & corporea caduca esse & fragilia, quæ utiq; cum ita esse deprehēderit is qui  
sapientiæ studet, sine dubio contemnet ea ac despiciet, & uniuerso (ut ita dicam) seculo  
renūcians tendet ad inuisibilia & æterna, quæ spiritualibus quidē sensibus, sed ad opertis  
amorum quibusdam figuris docentur in Canticis canticorum. Ideo enim nouissimū lo-  
cum tenet hic liber, ut tunc ad eum ueniatur, cum & moribus quis fuerit defecatis, & re-  
rum corruptibilitū atq; in corruptibilitū scientiā distinctionemq; didicerit, per quæ in  
nullo possit ex his figuris, quib. sponsæ ad spōsum cœlestis, id est animæ perfectæ amor  
ad uerbum dei describitur ac formatur, offendere. Præmissis nanq; his quibus purificat  
anima per actus ac mores, & in rerum discretionem naturalium perducitur, cōpetenter  
ad domestica uenitur, & ad mystica, atq; ad diuinitatis contēplationē sincero & spirita-  
li amore cōscenditur. Hanc ergo triplicem diuinæ philosophiæ formā etiam in illis san-  
ctis ac beatis uiris arbitror præsignatā, pro quorū sanctissimis institutionibus deus sum-  
mus dici uoluit deus Abrahā, deus Isaac, deus Iacob. Abraham tanquam moralem decla-  
rat philosophiam, per obedientiam. Tanta enim eius fuit obedientia, & obseruatio man-  
datorū, ut cum audiret, Exi de terra tua, & de cognatione tua & de domo patris tui, non  
sit cūctatus, sed statim fecerit, imò & aliquid amplius fecerit. Audiēs enim ut immolaret  
filium suum, nec inde quidē dubitat, sed obtemperat præcepto: & ad exēplum obedien-  
tiæ quæ est moralis philosophiæ, posteris dandū, nec filio suo unico pepercit. Isaac quoq;  
naturalem philosophiam tenet, cum & puteos fodit, & rerum profunda rimatur. Sed &  
Iacob inspectiuum tenet locum, quippe qui & Israel ob diuinorū contēplationem no-  
minatus sit, & qui castra cœli uiderit, & domum dei, atq; angelorū uias, id est scalas à ter-  
ris in cœlum porrectas prospexit. Vnde & merito inuenimus tres istos beatos uiros alta-  
ria fixisse deo, hoc est philosophiæ suæ consecraste profectus, quo scilicet edocerent nō  
hæc ad artes humanas sed ad Dei gratiam referenda. Sed & in tabernaculis degūt, ut per  
hæc ostendant, neq; in terris habendum esse aliquid proprium huic qui diuinæ philoso-  
phiæ studet, sed semper promouendum, nō ram de loco ad locum, quā de scientia infe-  
riorum, ad scientiam perfectorum. Sed & alia multa in scripturis diuinis inuenies quæ or-  
dinem hunc quem in libellis Solomonis contineri diximus, secundum hanc eādem for-  
mam designant; sed ea nunc nobis prosequi aliud in manibus habentibus longum est. Si  
quis

*Ecclesiastis libri  
summa ac caput.*

quis ergo primum locum in emendandis moribus, mandatisq; seruadis, qui per prouerbia designatur, impleuit: post hæc autem deprehensa uanitate mūdi, & rerū caducarum fragilitate perspecta, uenit in hoc ut renunciet mundo, & omnibus quæ in mundo sunt: consequenter ueniet etiam ad cōtemplanda & desideranda ea quæ nō uidentur & æterna sunt. Ad quæ tamē ut peruenire possimus, indigemus diuina misericordia, si forte ualeamus perspecta pulchritudine uerbi dei saluari in eū amore succendi, ut & ipse digne tur huiusmodi animam diligere, quam desiderii sui habere perspexerit. Post hæc exigit nos cōsequenter sermonis dicere etiam de superscriptione ipsa Cātici canticorū. Simile enim est hoc illis quæ in tabernaculo testimonij appellantur sancta sanctorū, & illis quæ in libro Numerorum memorantur opera operum, quæq; apud Paulū dicuntur secula seculorū. Sed quomodo differant à sanctis sancta sanctorum in Exodo, & quomodo differant opera ab operibus operū in Numerorum libro, tractatibus prout potuimus, dictū est à nobis. Sed & de seculo seculorū in locis quibus occurrit nō omissum est, & ne eadē repetamus illa sufficiant. Nunc ergo requiramus primo quæ sint cantica, quorū canticorum hoc esse canticum dicitur. Puto ergo quod cantica sint illa quæ dudum per prophetas, uel per angelos canebātur. Lex enim dicitur per angelos ministrata in manu mediatoris. Illa ergo omnia quæ per illos annunciabant, cantica erant per amicos spōsi præcedentia. Istud uerò unum canticum est, quod ipsi iam sponso spōsam suā suscepturo epithalamij specie erat canendū: in quo sponsa nō adhuc per amicos sponsi cātari sibi uult, sed ipsius iam spōsi præsentis audire uerba desiderat, dicēs: Osculetur me osculo oris sui: unde & omnibus canticis merito præfertur. uidetur enim cætera cantica quæ lex & propheta cecinerunt, paruulæ adhuc sponsæ, & quæ nondū uentibula maturæ atatis ingressa sit decantata: hoc uerò canticum adultæ, & iam ualde robustæ, & quæ capax sit iam uirilipotentiæ, perfectiq; mysterij, decantari uidetur. Secundum quod dicitur de ipsa quæ una sit perfecta colūba. quæ si perfecta, ergo & perfecti uiri spōsa perfectæ suscepit uerba doctrinæ. Primum ergo canticū cecinit deo Moyses & filij Israel quādo uiderūt Ægyptios mortuos ad littus maris, & quando uiderūt manum fortem & brachium excelsum domini, & crediderunt deo & famulo eius Moyli. Tunc cantauerūt dicētes: Cantemus domino, gloriose enim honorificatus est. Ego autē arbitror quod nō possit ad istud perfectum quis & mysticū canticum peruenire, & ad istam perfectionem spōsæ, quæ in hac scriptura cōtinetur, nisi prius ambulet per siccū in medio mari, & fiat ei aqua murus à dextera lauaq; & sic euadat de manibus Ægyptiorum: ita ut uideat eos mortuos ad littus maris, atq; intuens manum fortem domini, quia interfecit Ægyptios, credat domino & famulo eius Moyli. Moyli autē dico legi atq; euangelijs, omnibusq; diuinis scripturis. tūc enim merito cantabit & dicet: Cantemus domino, gloriose enim honorificatus est. Sed istud cāticum canet quis cum primum liberatus fuerit à seruitute Ægyptiorū. Post hæc autem cum trāsierit per hæc omnia quæ in Exodo, & quæ in Leuitico scripta sunt, & uenerit ad hoc ut in diuinos numeros assumatur, tunc iterum secundum canticū canet, cum exierit de ualle Zareth, quod interpretatur aliena descensio, & uenerit ad puteū de quo scriptum est: Et dixit dominus ad Moysen. Cōgrega populum, & dabo eis aquam de puteo bibere. Ibi enim cantabit & dicet: Initiāte ei puteum. Foderūt illum principes, excuderunt eum reges gentiū in regno suo cum dominantur eorū. Sed de his plenius in Numerorum libro, secundū quod dedit nobis dominus, dictū est. Oportet igitur uenire ad puteum qui à principibus fossus est, & à regib. excusus est, in quo opere nemo plebeus operat, sed omnes principes, omnes reges, regales scilicet & principales animæ, quæ altitudinem putei aquā uiuam cōtinētis inquirūt. Post illud canticū uenitur ad Deuteronomij canticum, de quo dicit dominus: Et nūc scribite uobis uerba cantici huius, & docete illud filios Israel, & iniicite illud in os eorum, ut fiat mihi canticum istud ad testimonium in filijs Israel. Et uide quantū & quale sit canticum istud cui ad audiēdum terra nō sufficit, sed conuocat & cœlū. Ait enim, Attēde cœlum quæ loquar, & audiat terra uerba ex ore meo. Vide q̄ magna sint, q̄ ingentia quæ dicuntur. Expectetur (ait) sicut pluuia eloquium meum, & descēdat sicut ros super gramen, & sicut nix super fœnum, quia nomē domini inuocauit. & reliqua. Quartum canticū est in libro Iudicum, de quo scriptū est: Et cantauit Debhora & Barach filius Abinoem in die illa dicētes: Incipiēdo principes

Exod. 29  
Rom. 16

Gal. 3

Cant. 2

Ibid.

Exod. 15

Num. 21

Deut. 32

Iud. 5

pales in Israel in proposito populi benedicite dominū. Audite reges, auribus percipite satrapæ. & reliqua. Hæc autē quæ canit apis esse debet, cuius opus tale est, ut eo reges & mediocres utantur ad sanitatem. Debhora namq; apis interpretatur, quæ istud canticum canit, sed & Barach cum ipsa: interpretatur autē Barach coruscatio. Et canitur istud canticum post uictoriam, quia nec ante quis potest quæ perfecta sunt canere, nisi ubi aduersarios uicerit. Sic deniq; & in ipso cantico dicitur: Exurge, exurge Debhora, exuscita matris populi. Exurge, exurge, cane canticum, exurge Barach. Verum & de his plenius in illis orationibus quas de libello Iudicum edidimus, diserta reperies. Quintū post hæc canticum est in secundo libro Regnorum, cum locutus est Dauid ad dominum uerba cantici huius in die qua liberauit eum dominus de manu omnium inimicorum suorum, & de manu Saul, & dixit: Dominus mihi petra & munitio mea, liberator dominus Deus meus custos erit mihi. Si ergo & tu potueris considerare qui sunt inimici Dauid, quos in primo & secundo Regnorum libro superat ac prostrernit, & quomodo dignus factus est ut Domini adiutorium mereretur & liberaretur ab huiusmodi inimicis: tunc poteris & tu quintum istud canticum canere. Sextū est canticum in primo Paralipomenon libro, ubi constituit Dauid in principio ad laudandum Dominū Asaph, & fratres eius, & est initium cantici istius tale: Laudate Dominū, & confitemini, & inuocate eū in nomine eius, notas facite in populis uoluntates eius, canite ei, & hymnum dicite, narrate omnes ad inuentiones eius quas fecit Dominus, & cætera. Sciendum tamen est quod canticum quidem quod est in secundo Regnorum libro, ualde simile est psalmo xvij. Quod autē est in primo libro Paralipomenon, in initijs quidem usq; ad eum locū ubi dicit: Et in prophetis nolite malignari, simile est ciiiij. psal. Posteriora uerò ab hoc loco similitudinē gerunt primarū partium xcv. psal. ubi dicitur: Cantate domino omnis terra, usq; ad eum locum ubi ait: Quia uenit iudicare terram. Igitur si in his concludendus est numerus canticorum, septimo in loco ponendus uidebitur liber hic Cantici canticorum. Si quis uerò etiam Esaiæ canticum cum cæteris numerandum putet licet non ualde conuenire uideatur, ut præcessisse putetur Esaiæ canticum, quod longe posterioribus temporibus Esaias scripserit: tamen si quis putet quod prophetica dicta non temporibus, sed ratione pensanda sint, adiunget etiā illud canticū: & dicet hoc quod Solomon cecinit, Canticū esse canticorum non tantū eorum quæ prius, sed & eorum quæ postmodū canenda uidebantur. Si quis uerò putet etiam ex libro psalmodum debere assumi, sicubi in eo uel canticū scribitur, uel canticū psalmi, multitudinē congregabit præcedentiū canticorum. Iunget enim cæteris etiā xv simul graduū cantica: & requirens singulorum uirtutes canticorum, atq; ex his proficientis animæ gradus colligens, ac spiritalis intelligentiæ ordinē iterum cōsequentiamq; componens, ostendere poterit, q̄ magnificis gressibus incedēs sponsa per hæc omnia perueniat usq; ad thalamū sponsi, digrediēs in locum tabernaculi admirabilis usq; ad domū dei in uoce exultationis & cōfessionis sonus epulantis: & perueniēs usq; ad ipsum (ut diximus) thalamum sponsi, ut audiat & loquatur cuncta hæc quæ continentur in cantico canticorum. Adhuc autem possumus & hæc inquirere prius quàm ad ipsum corpus libelli uentamus: cur Solomon qui uidetur obtēperare in his tribus libellis uoluntati spiritus sancti, in Proverbijs quidē dicatur Solomon filius Dauid qui regnauit in Israel, in secundo uerò libello non Solomon scribitur, sed uerba, inquit, Ecclesiastæ filij Dauid regis Israel in Hierusalem. & filiū quidem se esse Dauid, similiter ut in primo, & regē Israel scribit, sed ibi pro uerba, hic uerba ponit: & seipsum quem ibi Solomonē, hic Ecclesiasten nominat. Et cū ibi gentem solam in qua regnauerat, posuisset, hic & gentem posuit, & locum regni Hierusalem designat. In Cantico canticorum uerò neq; gentis nomē, neq; locū in quo regnet, neq; omnino quod rex sit, neq; quod patrem Dauid habeat scribit, sed tantūmodo Canticū (ait) canticorum quod est ipsi Solomoni. Et quāuis difficile mihi uideat, aut perscrutari, aut pertingere posse horū differentias, aut utcūq; inuestigatas palam proferre, & chartulis credere: tamen inquantū capere uel sensus noster, uel auditus legentium potest, paucis aperire tentabimus. In plurimis Solomonem Christi typum ferre, uel secundum hoc quod pacificus dicitur, uel secundum hoc quod regina austrī uenit à finibus terræ audire sapientiā Solomonis, non puto dubitandū. Hic ergo & secundum quod filius Dauid dicitur, regnat in Israel, & secundū quod supra eos reges pro quibus ipse rex regū dicitur, regnat

nomis librorū  
i. dissimiles.

Prou. i  
Eccl. i

Cant. i

solomon typus Christi.

gnat. Et rursus, uerus Ecclesiastes ipse est, qui cū in forma dei esset semetipsum exinani-  
 uit formam serui accipiens ut cōgregaret ecclesiam. à cōgregando enim ecclesiā, Eccle-  
 siastes appellatur. Tū uerò quis ita Solomon, id est pacificus sicut dominus noster Iesus  
 Christus, qui factus est nobis sapiētia à deo & iustitia & pax. Igit̃ in primo Prouerbiorū  
 libro cū nos moralibus instituit disciplinis, rex esse dicit̃ in Israel necdū in Hierusalem:  
 quia & si Israel dicamur propter fidem, nō tamen in hoc peruentū est ut ad Hierusalē cō-  
 lestem peruenisse uideamur. Vbi uerò profecerimus, & in hoc uentum fuerit, ut ecclesie  
 primitiuorū quæ in cœlis est sociemur, atq; Hierusalē cœlestē discussis diligētius priscis  
 & naturalibus causis matrē nostram noscimus cœlestē: tūc iam nobis etiā ipse Christus  
 Ecclesiastes efficitur, & non solum in Israel, sed & in Hierusalē regnare dicitur. Cū uerò  
 ad perfectionē omnīū uentū fuerit, & spōsa ei perfecta omnis duntaxat rationalis crea-  
 tura iungetur, quia pacificauit per sanguinē suum non solū quæ in terris sunt, sed & quæ  
 in cœlis: tunc Solomon tantūmodo dicitur cum tradiderit regnū deo & patri, cū euacua  
 uerit omnem principatū & potestātē. Oportet enim eū regnare donec ponat inimicos  
 suos sub pedibus suis, & nouissimus inimicus destruat̃ mors. Et ita pacificatis omnib.  
 patriq; subiectis, cū erit iam deus omnia in omnibus, Solomon tantūmodo, id est solus pa-  
 cificus nominabit̃. Competenter ergo in hoc libello qui de amore sponsæ & sponsi erat  
 scribēdus, etiam pro hoc neq; filius Dauid, neq; rex, neq; aliud horū quod ad corporeū  
 pertinere possit intellectum scribitur, ut merito de eo periecta iam sponsa dicat: Quia &  
 si aliquando cognouimus Christum secundū carnē, sed nunc iam non nouimus. ne quis  
 putet eam corporeum aliquid amare, aut in carne positum, & macula aliqua amoris eius  
 credatur induci. Propterea Canticū canticorum Solomoni tātummodo est, & neq; filio  
 Dauid, neq; regi Israel, neq; aliqua in his prorsus miscetur carnalis nominis intelligētia.  
 Et ne mireris quod cum unus atq; idem sit Dominus atq; saluator noster, dicamus eum  
 uelut minorem primo in Prouerbijis, & deinde proficientem in Ecclesiaste, & post hæc  
 habere perfectionem in Cantico canticorū, cum hæc etiam in euangelijs uideas scripta,  
 ubi propter nos & ipse in nobis dicitur proficere. Sic enim refertur, quia Iesus proficie-  
 bat ætate & sapientia apud deum & homines. Puto ergo quod pro his omnibus, neq; fi-  
 lius Dauid, neq; rex Israel scribitur: sed & pro eo adhuc, quod in Cantico canticorū spon-  
 sa iam intantum profecerat, ut maius aliquid esset quàm est regnum Hierusalem. Nam  
 Hierusalem cœlestem dicit apostolus esse, atq; ad eam memorat credētes accedere. Hūc  
 ergo sponsum ad quem nūc sponsa festinat, idem Paulus cū eum pontificem maximum  
 dicit, ita de eo scribit, quasi qui non in cœlis sit, sed penetrarit & pertransierit omnes cœ-  
 los, & illuc quoq; eum hæc sua perfecta sponsa sectetur, immò illuc adhærēs ei & cōiun-  
 cta cōscenderit. est enim facta cum eo unus spīritus. Vnde uidetur mihi & ad Petrū, qui  
 non poterat eum primo sequi cum diceret: Quo ego uado uos non potestis uenire mo-  
 do, dixisse, Sequeris autē postea. Quod autem sit aliquid maius & ab Israel, inde colligi-  
 mus, quod in Numerorū libro omnis quidem Israel numeratur, & xij. tribus Israel certo  
 sub numero censentur: Tribus uerò leuitica, utpote cæteris eminentior supra hunc nume-  
 rum habetur, & nequaquā in Israelitico numero deputatur. Dicit enim ita: Hæc est uisi-  
 tatio in qua recēsi sunt filij Israel secundū domus familiarū suarum. Omnis uisitatio eo-  
 rum cum uirtute sua sexcenta tria milia quingenti quinquaginta. Leuitæ autē non sunt  
 numerati cū eis, sicut præcepit dominus Moyse. Vides quomodo ut eminentiores à filijs  
 Israel sequestratur leuitæ, nec in eorū numero sociantur: Et rursus leuitis eminentiores  
 scribuntur sacerdotes. Sic enim in eadem scriptura cōtinetur: Et locutus est, inquit, domi-  
 nus ad Moysen, dicēs: Accipe summā leuitarum, & constitues eos in conspectu Aaron  
 sacerdotis, & ministrent ei. Vides & in hoc quomodo superiores leuitis nominet sacer-  
 dotes, & rursus leuitas eminentiores ponit filijs Israel: Hæc autē uisum est discutere pau-  
 lo curiosius, uolentes etiā per hæc ostendere rationē, quia in ipsis quoq; attitulationib.  
 librorum suorum Solomon differentijs usus est necessarijs, & aliud in Prouerbijis, aliud  
 in Ecclesiaste, aliud etiam in Canticorū cantico ex ipsa inscriptione tituli designauit. Et  
 adhuc quod in Cantico canticorum ubi iam perfectio ostēditur, neq; filius Dauid, neq;  
 rex scribitur, potest etiam hoc dici: quia cum factus fuerit seruus sicut dominus, & disci-  
 pulus sicut magister, uidetur iam neq; seruus esse seruus, factus uidelicet sicut dominus:  
 neq;

Phil. 2 Ecclesiastes

1 Cor. 1 Prouerbia Sol

Ecclesiastes.

Cantica.

1 Cor. 14

2 Cor. 5

Gal. 4  
Eph. 4

Ioan. 13

Num. 2

Num. 3

neq; discipulus esse discipulus, quippe qui sicut magister effectus est: sed fuisse quidē ali-  
quādo discipulus nūc uerò esse sicut magister: & fuisse quidē seruus aliquando, nūc uerò  
esse sicut dominus. Simili igitur ratiōe etiā de rege & in his in quos regnat aduerti posse  
uidebitur, cum regnū iam tradetur Deo & patri. Sed & hoc nō lateat, nōnullos attitula-  
tionem libelli huius Cantica canticorū scribere, quod nō recte scribitur. Non em̄ plu-  
raliter, sed singulariter Canticū hic dicitur canticorū. Hæc quasi in præfatione dicta sunt  
à nobis de superscriptione ipsa, uel attitulatione libelli. Iā nūc domino nostro nos adiuuā  
te ipsius operis adoriamur exordia, & tamē ne illud quidē remaneat in nobis omīssum,  
quod quibusdam requirendū uisum est adhuc de ipsa attitulatione, ac superscriptiōe li-  
bri, quæ ita habetur, Canticū canticorū quod est ipsi Solomoni. Sic enim accipiūt, quasi  
canticum hoc esse dixerit canticorū Solomonis, ut ex plurimis suis canticis hoc unū esse  
signauerit. Sed nos quomodo recipiemus huiusmodi intelligentiā, cū neq; ecclesia Dei  
ulla extrinsecus Solomonis cantica legēda susceperit: neq; apud Hebræos, à quibus elo-  
quia dei ad nos uidentē esse trāslata, aliqd præter hos tres libellos Solomonis, q̄ & apud  
nos sunt, amplius habeat in canone? Volunt tamē qui hoc asserūt, inde cōfirmare sentē-  
tiam, quod in Regnorū tertio libro scriptū est, multa fuisse Solomonis cantica, ut unū ex  
multis esse cōfirmant. Hoc ibi ergo referūt: Et deus dedit prudentiā Solomoni, & sapien-  
tiam multā ualde, & latitudinē cordis sicut arenā quæ est ad orā maris, & factus est sapi-  
ens Solomon ualde super sapientiā omnium antiquorū, & super omnes sapientes Ægy-  
pti, & super Ethan Ezraiten & Heman & Chalcal & Dorda filios Maol, & erat nomi-  
natus in uniuersis gentibus per circuitū: & locutus est Solomon tria milia parabolarū, et  
erāt cantica eius quinq; milia. Ex his ergo quinq; milibus canticis uolūt uideri hoc unū  
esse canticū quod habemus: sed usq; quò uel ubi cantata sint, nō solum ad usum, sed ne ad  
notitiā quidē peruenit ecclesiarū dei. Operosum est autē & procul ab opere proposito, si  
uelimus nūc inquirere q̄ multorum librorū cōmemoratio fiat in scripturis diuinis, quo-  
rum lectio nulla nobis omnino est tradita. Sed neq; apud Iudæos haberi quidē usum hu-  
iusmodi reperimus lectionū. quæ siue pro eo q̄ aliqua supra humanā intelligentiā con-  
tinebāt, placuit spiritui sancto auferri de medio, siue quod essent de scripturis his quæ ap-  
pellant apocryphæ, pro eo quod multa in eis corrupta, & cōtra fidem ueram inueniunt  
à maioribus tradita, nō placuit eis dari locū, nec admitti ad auctoritatē, supra nos est pro-  
nūciare de talibus. Illud tamē palām est, multa uel ab apostolis, uel ab euāgelistis exēpla  
esse prolata, & Nouo testamento inserta, quæ in his scripturis quas canonicas habemus,  
nunq̄ legimus, in apocryphis tamē inueniunt, & euidenter ex ipsis ostendunt assumpta.  
Sed ne sic quidem locus apocryphis dandus est: nō enim transeūdi sunt termini quos sta-  
tuerūt patres nostri. Potuit enim fieri, ut apostoli uel euāgelistæ sancto spiritu repleti sci-  
uerint quid assumendū ex illis esset scripturis, quid uē refutandū: nobis autē nō est absq;  
periculo aliquid tale præsumere, quibus nō est tanta spiritus abundantia. Et ideo de præ-  
senti uersiculo nos eam tenemus additionē quam supra exposuimus, maxime cū euidens  
in eo habeatur distinctio, ubi ait, Canticū canticorū, quod est ipsi Solomoni. Si enim uo-  
luisset intelligi canticorū Solomonis hoc esse canticū, dixisset utiq; canticū canticorum  
quæ sunt Solomoni, uel canticū ex canticis Solomonis: nunc autē quia dixit, quod est So-  
lomonis, ostēdit istud canticū quod est in manibus, & quod erat ei canendū, esse Solomo-  
nis. Et hoc de attitulatione quā proposuit cōtinere. Videamus ergo iā & quæ sequuntur.

### HOMILIA PRIMA

**Cant. 1**  
**S**CVLETVR me ab osculo oris sui. Meminisse oportet illud quod  
in præfatione præmonuimus, quia libellus hic Epithalamij habēs  
speciem dramatis in modum conscribitur. Drama autem esse dixi-  
mus ubi certæ personæ introducuntur, quæ loquuntur, & aliæ in-  
terdum superueniunt, aliæ recedunt, aut accedunt, & sic totum in  
mutationibus agitur personarum. Hæc ergo erit totius libelli spe-  
cies, & secundum hanc pro uiribus historica à nobis aptabitur ex-  
positio. Spiritualis uerò intelligentia secundum hoc nihilominus quod in præfatione  
signauimus, uel de ecclesiæ ad Christum, sub sponsæ uel sponsi titulo, uel de animæ cum  
uerbo

uerbo dei cōiunctione dirigitur. Introducitur ergo nūc per historię speciem spōsa que-  
 dam quæ suscepit quædā sponsaliorū & dotis titulo dignissima munera ab sponso no-  
 bilissimo. Sed plurimo tempore morā faciente sponso, sollicitari eam desiderio amoris  
 sui, & confici iacentē domi suæ, & agentē omnia quatenus possit aliquādo uidere spon-  
 sum suum, atq; osculis eius frui. Quæ quoniam nec differri amorē suum, nec adipisci se  
 posse quod desiderat uidet, conuertat se ad orationē, & supplicet deo, sciens eum patrē  
 esse sponsi sui. Consideremus ergo eam leuantem sanctas manus sine ira & disceptatio-  
 ne in habitu ornato cum uerecundia et sobrietate, ornatam dignissimis ornamentis, qui-  
 bus ornari decet nobilem sponsam: æstuatē uerò desiderio sponsi, & interno uulnere  
 amoris agitatam, orationem (ut diximus) fundere ad deū, & dicere de sponso suo: Oscu-  
 letur me ab osculo oris sui. Hæc sunt quæ dramatis in modū cōposita, historica continet  
 explanatio. Interior uerò intellectus uideamus si hoc modo poterit cōpetēter aptari. Ec-  
 clesia sic desiderans Christo cōiungi. Ecclesiam autem cœtū omniū aduerte sanctorū.  
 Hæc ergo ecclesia sit quasi omniū una persona, quæ loquatur & dicat: Omnia habeo. re-  
 pleta sum muneribus quæ sponsaliorum uel dotis titulo ante nuptias sumpsi. Dudum  
 em̄ cū prepararer ad coniugium filij regis & primogeniti omnis creature, obsecuti sunt et  
 ministrauerunt mihi angeli sancti eius, deferētes ad me legem sponsalis muneris loco.  
 Lex namq; per angelos disposita dicit̄ in manu mediatoris. Ministrauerunt mihi etiam Gal. 3  
 propheta. Locuti sunt enim omnia & ipsi, per quæ non solum ostenderēt & indicarent  
 mihi de filio dei, cui me delatis his quæ appellan̄t arris & muneribus dotalibus spōdere  
 cupiebant: uerū ut & in amorē me eius desideriumq; succenderent, pronunciauerūt mi-  
 hi prophetiis uocib. de aduētū eius, & de innumeris uirtutibus, operibusq; eius immē-  
 sis repleti spiritu sancto prædicauerūt, pulchritudinē quoq; eius, & speciem, ac mansue-  
 tudinē descripserunt, ita ut omnibus his ad amorē eius integraliter inflammarer. Sed  
 quoniam seculū iam pene finitum est, & ipsius quidem præsentia non datur mihi, solos  
 autem ministros eius uideo ascendentes & descēdentes ad me, propter hoc ad te patrē  
 sponsi mei precem fundo & obsecro ut tandē miseratus amorē nostrum mittas eum: ut  
 iā non mihi per ministros suos angelos duntaxat & prophetas loquatur, sed ipse per se-  
 metipsum ueniat, & osculetur me ab osculo oris sui, uerba scilicet in os meū sui oris in-  
 fundat, ipsum audiam loquentē, ipsum uideam docētem. Hæc enim sunt Christi oscula  
 quæ porrexit ecclesiæ, cum in aduētū suo ipse Christus in carne positus euāgelizauit ei  
 uerba fidei & charitatis & pacis, secundū quod Esaías promiserat, & præmissus ad spō-  
 sam dixerat: Nō legatus, neq; angelus, sed ipse domīnus saluabit nos. Tertio uerò expo Esa. 33  
 sitiōis loco introducā animā, cuius omne studiū sit cōiungi & cōsociari uerbo dei,  
 & intra mysteria sapiētia eius ac sciētia uelut spōsi cœlestis thalamos intrare, cuiq; ani-  
 mæ præsentia eius etiā munera data sunt, dotis scilicet nomine. Sicut em̄ ecclesiæ dos fu-  
 it legis & prophetarū uolumina, ita huic lex nature et ratiōalis sensus ac libertas arbitrij  
 dotalia munera deputentur. Habens autē hæc dotis suæ munera, sit ei primo eruditionis  
 doctrina à monitoribus doctoribusq; descendens. Sed quoniā in his nō est ei plana atq;  
 perfecta desiderij sui & amoris expletio, deprece ut mēs eius pura & uirginalis, ipsius  
 uerbi dei illuminationib. & uisitationibus illustretur. Cū enim nullo hominis, uel ange-  
 li ministerio diuinis sensibus & intellectibus mens implēt, tūc ipsius oscula uerbi dei su-  
 scipere sese credat. Propter hæc ergo & huiusmodi oscula dicat anima orās ad deū: Os-  
 culetur me ab osculo oris sui. Dū em̄ inde capax fuerit, ut ipsius uerbi dei caperet uerā so-  
 lidamq; doctrinā, necessaria suscepit oscula, id est sensus ab ore doctorū: ubi uerò spon-  
 te iā cœperit obscura cernere, enotare perplexa, inuoluta dissoluere, parabolas & ani-  
 gmata, dictaq; sapientū cōpetentibus intelligētia lineis explicare, tūc iam oscula ipsius  
 sponsi sui, id est uerbi dei, suscepisse se credat. Ideo autē oscula pluraliter posuit, ut intelli-  
 gamus uniuscuiusq; obscuri sensus illuminationē, osculū esse uerbi dei ad animā pfectā  
 delatū. Et secundū hoc forte dicebat pphetica & perfecta mēs: Os meū aperui & attra- Psal. 118  
 xi spiritū. Os autē sponsi intelligimus uirtutē dei, qua illuminat mentē, & uelut sermone  
 quodam amoris ad eam facto, si tamen capere mereatur tantę uirtutis præsentia, incog-  
 nita quæq; sibi & obscura manifestat: & hoc est uerius, propiusq;, & sanctius osculum,  
 quod à spōso dei uerbo porrigi dicitur spōse, purę scilicet animę, & pfectæ. Cuius rei  
 Orig. to. 1. Bb imago

imago est illud osculū, qđ in ecclesia sub tēpore myſteriorū nobis inuicē damus. Quoti  
 es ergo in corde nostro aliquid quod de diuinis dogmatib. ſenſibusq; quæriť, abſq; mo  
 nitorib. inuenimus, totiēs oscula nobis data eſſe à ſpōſo dei uerbo credamus. Vbi uerò  
 quærētes aliquid de diuinis ſenſibus inuenire nō poſſumus, tunc affectu huius oratiōis  
 aſſumpto petamus à deo uiſitationē uerbi eius, & dicamus: Osculeť me ab osculo oris  
 ſui. Scit autē pater uniuſcuiuſq; animæ capacitatē, & nouit quo tempore, cui animæ, quæ  
 Cant. 4 oscula uerbi ſui porrigere in intellectibus duntaxat & ſenſibus debeat. Quia bona ſunt  
 ubera tua ſuper uinū, & odor unguentorū tuorū ſuper omnia aromata. Intellige prius  
 quaſi in hitorix dramate ſponſam eleuatis ad deū manibus orationē fudiſſe ad patrē, et  
 oraſſe ut iā ueniret ad eam ſpōſus, & ipſe ei osculū proprii oris infunderet. Dūq; hec ora  
 ret ad patrē, in ipſa oratione qua dixit: Osculeť me ab osculo oris ſui, parat etiā alia ora  
 tionis uerba ſubiūgere, ac dicere: quia in hoc principio ſermōis affuiſſet ſpōſus, & orāsi  
 ei aſtituiſſet, ac reuelaiſſet uerba ſua, ipſumq; ſpōſum unguētis mirificis, & quibus ſpōſum  
 fragrare decebat, cōſtituiſſet deliburū. Spōſa uerò ubi ad eſſe uidiť eū pro quo orabat ut  
 ad eſſet, & adhuc loquēti ſibi præſtitū qđ orabat, ac data ſibi ab ipſo oscula quę popoſce  
 rat, læta pro hoc reddita, & decore uberū, ac fragrantia ipſius odore permota, propoſi  
 ta orationis ſermonem conuertit ad præſentiam ſponſi qui aderat: & cū dixiſſet: Oscu  
 letur me ab osculo oris ſui, ſubiūgit poſt hec ad præſentē iam ſpōſum, dicēs: Bona ube  
 ra tua ſuper uinū, & odor unguentorū tuorū ſuper omnia aromata. Hæc interim ſecun  
 dum hitoricam intelligentiā, quam dramatis in modū præ diximus textam. Nunc uerò  
 quid intellectus interior habeat, requiramus. Diuerſis uocabulis principale cordis ap  
 pellari in ſcripturis diuinis inuenimus, quæ uocabula pro cauſis, ac rebus de quibus agi  
 tur aptari ſolēt. Interdū em̄ cor dicit, ut: Beati mūdo corde, &: Corde crediť ad iuſtitia.  
 Matt. 5 Si uerò cōuiuij tēpus ſit, pro ſpecie, & ordine diſcumbentiū, uel ſinus, uel pectus appel  
 Rom. 10 latur: ſicut Ioannes in euāgelio refert de quodam diſcipulo quem amabat Ieſus, quod in  
 Ioan. 13 ſinu eius uel ſupra pectus eius recūberet, ille profecto cui innuēs Simō Petrus dicebat:  
 Interroga quis hic de quo dicit. Poſt hæc uerò recūbens ſuper pectus Ieſu, dicit ei: Do  
 mine quis eſt? In his enim certum eſt quod Ioānes in principali cordis Ieſu, atq; internis  
 doctrinæ eius ſenſibus requieuiſſe dicat, ibi requirēs & perſcrutans theſauros ſapiētia  
 & ſcientia qui recōditi erant in Chriſto Ieſu. Sed quod ſinus Chriſti in loco dogmatum  
 ſanctorum accipiatur, puto indecens nō uideri. Diuerſis ergo modis ut dicere cōpera  
 mus principale cordis in ſcripturis ſanctis designat, ſicut & in Leuitico nihilominus, u  
 bi de ſacrificijs pectuſculum ſeparationis, et braciū ſacerdotibus ſequeſtrať: & in hoc ſe  
 queſtratū ac ſeparatū pectuſculum & brachium, præcellēs cæteros homines principale  
 cordis, & operū decus uult eſſe in ſacerdotibus. De quo plenius in libro Leuitico pro  
 ut dominus dare dignatus eſt expoſuimus. Secundū hæc ergo etiā in præſenti loco, quā  
 do quidē amatorium uidetur drama quod agit, in uberibus principale cordis intelliga  
 mur, ut tale uideatur eſſe quod dicitur: Cor tuum o ſponſe meus, id eſt dogmata quę in  
 tra te ſunt, uel doctrinæ gratia, ſuperat omne uinū, quod cor hominis lætificare ſolet. Si  
 cut enim in his de quibus dicit: Quia deum uidebunt, cor competenter dictum eſſe ui  
 detur, & inter diſcubentes ſinus, ac pectus ponitur, pro habitu ſine dubio diſcumbenti  
 um, formaq; conuiuij: & ruruſ ut apud ſacerdotes pectuſculū & brachium myſticis de  
 ſignatur eloquijs: ita etiā arbitror in præſenti loco, ubi amantiū habitus & colloquia de  
 ſcribuntur, gratiſſime hoc ipſum principale cordis in uberibus appellatum. Bona ergo  
 ſunt ubera ſpōſi, quando quidem theſauri ſunt in eis ſapientia & ſcientia reconditi. V  
 bera autem hæc uino cōparat ſponſa, ſed ita computat ut præferat. Vinum autē illa intel  
 ligenda ſunt dogmata, & doctrinæ, quæ per legem & prophetas ante aduentum ſponſi  
 ſumere ſponſa conſueuerat. Sed nunc conſiderans hanc doctrinā, quæ ex uberibus p  
 fluit ſponſi, miratur & ſtupet, uidens eam longe præſtantioſam quā illam ex qua ante  
 aduentum ſponſi lætificata fuerat, tanquā ex uino ſpiritali quod miniſtrabant ſancti pa  
 tres & prophete, qui etiā huius generis plantauerunt uineas, ut Noe primus, & Eſaias  
 in cornu in loco uberi, & coluerunt eas. Videns ergo nūc multam eſſe eminentiam do  
 gmatum & ſcientia apud ſponſum, & longe ex eo perfectioſam qđ fuit apud antiquos  
 emanare doctrinā, dicit: Bona ſunt ubera tua ſuper uinū: ſuper illam ſcilicet doctrinam  
 qua

qua laetificabar ab antiquis. De hoc enim antiquorū uino intelligēdus est ecclesiastes di-  
cere, ubi ait: Ego dixi in corde meo: ueni, & tētabo te in letitia, & uidebo in bono. Et ite *Ecclef. 2*  
rum de eisdem uineis loquens idem Ecclesiastes dicit: Magnificauī mihi opus meū, & di *Ibid.*  
ficaui mihi domos, plantauī mihi uineas, feci mihi hortos & paradisos, & reliqua. Sūt au-  
tem huius uineę mystici etiā ministri quidā, qui uini fusores appellant. Sic enim idem  
dicit: Et feci mihi cantores & cantatrices in letitia filiorum hominum, uini fusores, & ui *Ibidem*  
ni fusitricēs. Vide ergo si possimus tum in ceteris, tum etiā in hoc intelligere saluatorē  
ueteri uino nouella uberum suorum fluenta miscentem, cum Maria & Ioseph quaren- *Luc. 2*  
tes inuenerunt eum in templo sedentem in medio doctorū, & audientē atq; interrogan-  
tē eos, quando & mirabātur omnes super responsis eius. Sed & ibi fortassis species for-  
mę huius expletur, ubi ascendens in montem docebat populos, & dicebat: Dictum est *Matt. 5*  
antiquis: Non occides: ego autem dico uobis: Omnis qui irascitur fratri suo sine causa,  
reus erit. Et dictū est antiquis: Non adulterabis: ego autem dico uobis: Omnis qui uide-  
rit mulierem ad cōcupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo: Inquantū er-  
go doctrina hęc eius præcellit illam antiquam, intantum sponsa intelligit & pronūciat  
bona esse ubera eius super uinum. Sed & quod uorax dicitur filius hominis, & bibēs, &  
dicunt: Ecce homo uorax & uinum bibēs: ad hoc nihilominus respicit: tale et illud uinū *Matt. 11*  
fuisse in Cana Galilęe quod bibebatur in conuiuio nuptiali, quo deficiēte fecit et aliud  
uinum cui testimōium reddit architriclinus quod sit ualde bonum, & eo uino quod ex-  
pensum fuerat multo præstantius: cum dicit, omnis homo primo bonum uinū ponit, & *Ion. 2*  
cum inebriati fuerint id quod deterius est, tu autē seruasti uinum bonum usq; nunc. Sed  
& Solomonē qui pro accepta dei sapientia in admiratione fuit reginę Sabę, quę uene-  
rat tentare eum in quæstionibus: in quibus eum eadem regina scrutetur et miretur, audi-  
scripturam referentem: Et uidit, inquit, regina Saba omnem sapientiā Solomonis, et do *3 Reg. 10*  
mum quam ædificauit, & apparatus cōuiuij eius, & sedem puerorum eius, & ordinem  
ministorum eius, & uestes eius, & uinifusores eius, & holocausta eius, quę offerebat in  
domo dei, & stupefacta est, & reliqua. In his ergo aduerte quomodo hęc quę uenit à fi-  
nibus terrę audire sapientiā Solomonis, inter cætera miratur & cibos cōuiuij eius, uel  
uini fusores eius, & super his dicitur obstupuisse. Nescio autē si ita ineptā putemus fuisse  
reginam, quę ob hoc uenerat à finibus terrę ut audiret sapientiā Solomonis, ut miretur  
cibos corporales, & uinū istud cōmune, ac pincernas uini in ministerio regis. Quid em̄  
in his admiratione dignū reginę uideatur, quę communia penē omnibus sunt homini-  
bus? Sed mihi uidetur miratam esse cibos doctrinę eius & uinum dogmatū, quę ab eo  
per diuinam sapientiam prædicabantur. Hoc erat uinū & illud quod per Hieremiam re-  
fertur de filijs Ionadab filij Rechab, qui eo tempore quo peccata populi inualuerant, et  
pro iniquitatibus plebis captiuitas imminebat, conuocati sunt ut biberēt uinū, & dixē-  
runt, quia mandauerat eis pater suus Ionadab ne biberent uinum ipsi & filij sui in secu-  
lū, neq; domos ædificarent, neq; seminarent semen, neq; plantarent uineas, sed in taber-  
naculis habitaret omnibus diebus uitę suę. Et amplectitur eos Deus eo quod custodie *Hier. 15*  
rint præceptum patris sui, & noluerint bibere uinum. Pro peccatis enim tunc populi, et  
iniquitatibus eorum, erat uinea eorum ex uinea Sodomorū, & palmites eorum ex Go-  
morra, uua eorum uua fellis, & botrus amaritudinis: uenenū aspidum, & furor draconū  
erat uinum eorum. Propter hoc ergo laudabiles habēt filij Ionadab, qui tale uinū, ue-  
nenata scilicet dogmata, et aliena à fide dei, bibere et suscipere recusarūt. Propter hoc er-  
go fortassis percussit deus uineas Ægyptiorū, sicut in psalmo scriptū est, ne tale facerēt *Psal. 105*  
uinū. Igitur si intelleximus uini differētiās, easq; pro diuersitate dogmatū cōstare per-  
speximus, quod ait hic sponsa: Quia bona sunt ubera tua super uinum, super uinū utiq;  
intelligamus bonum, non malum. Bonis enim, non malis cōparata dogmatibus sponsi  
dogmata præferunt. Bonū enim uinū gustauerat prius in lege & prophetis: ex quo ue-  
lut præmeditata erat spōsa lætitiā cordis accipere, ac preparare, ut capere posset etiā il-  
lam quę affutura erat per ubera ipsius sponsi, excellentiorē cunctis cernens eorū doctri-  
nam, & ideo dicit: Bona sunt ubera tua super uinum. Et uide si adhuc formę huic aptare  
possimus illam euāgelij parabolam, quę dicit: Simile est regnum cœlorum thesauro ab *Matt. 13*  
sccondito in agro, quē qui inuenerit, abscondit, & præ gaudio eius uadit, & uendit omnia  
Orig. to. 1. Bb 2 quæ

quæ habet, & emit agrum illum. Est ergo thesaurus is nō in deserto aliquo loco, neq; in syluis, sed in agro absconditus. Et possibile utiq; est agrū illum habere etiam uineas, quæ afferant uinum, habere etiam thesaurū propter quem distractis omnibus emit agrum illum is qui inuenerat ibi thesaurum. Potest ergo dicere ille qui emit agrū, quia bonus est thesaurus qui est in agro, magis quàm uinum quod est in eo. Ita ergo & bonus est sponsus, atq; ubera spōsi, quæ uelut thesaurus absconditus est in lege & pphetis, magis quàm uinum quod est in eis, illa scilicet doctrina quæ palàm est, & latificat audiētes. Bona ergo sunt ubera sponsi. Thesauri enim sunt sapientiæ & scientiæ in eo absconditi: qui cum aperti & reuelati fuerint oculis sponsæ, multo præstantiores ei uidebuntur quàm fuit prius istud uinum legis et doctrina prophetica. Sed & si tertiam expositionē de anima perfecta, & uerbo Dei sentire debeamus, possumus dicere: quia quis donec paruulus est, et nondum semetipsum ex integro obtulit Deo, bibit uinū quod affert ager ille, qui habet intra se etiam thesaurum absconditū, & bibens latificatur ex uino. Cum autem obtulerit & deuouerit semetipsum deo, ac Nazareus fuerit effectus, atq; inuenerit thesaurum absconditum, & ad ipsa ubera fontesq; peruenerit uerbi Dei, uinū & siceram iam non bibit, dicens ad ipsum Dei uerbū de his thesauris, qui in ipso scientiæ & sapientiæ reconditi sunt: Quia bona sunt ubera tua super uinum. Sunt autē unguenta quædam sponsi, quorum fragrantia delectata est sponsa, & dicit: Odor unguentorum tuorum super omnia aromata. Aromata species sunt pigmentorum. Sponsa autem habuit quendam usum & notitiam aromatum, hoc est uerborum legis & prophetarum, quibus ante aduentum sponsi mediocriter licet, instrui tamen uidebatur, & exerceri ad cultum dei, utpote paruula adhuc & sub curatoribus & actoribus agens & pædagogis. Lex enim pædagogus noster fuit ad Christum. Hæc autem omnia aromata fuerāt, in quibus nutriti uisa est, & spōso suo præparari. Sed ubi uenit plenitudo temporum, & adoleuit, atq; unigenitum suum pater spiritu sancto unctum misit in hunc mundū, odorata sponsa diuini unguenti fragrantiam, sentiensq; quod illa omnia aromata quibus prius usa uidebatur, lōge inferiora sint ad comparationē suauitatis noui huius & cœlestis unguenti, ait: Odor unguentorū tuorū super omnia aromata. Et quoniā Christus idem sponsus, atq; idem pontifex dicitur: Pontifex quidem secundum hoc quod mediator est dei & hominum omnisq; creaturæ, pro qua & propitiatio factus est semetipsum offerēs hostiā pro peccato mundi: Sponsus uerò secundū hoc quod ecclesiæ iungitur nō habenti maculam aut rugam, aut aliquid horū: considera ne forte unguentū illud pōtificale quod in Exodo cōponi iubetur arte pigmentarij, istius unguenti quod nunc odorata spōsa miratur, teneat rationem: & uidens quod illa quidem aromata quibus cōpositū unguentum uidebatur quo Aaron unctus est, quoniam erant terrena & materiæ corporalis, hoc autē unguentum, quo nunc unctū uidit sponsum spiritale est & cœleste, idcirco dicat: Quia odor unguentorum tuorum super omnia aromata. Videamus ergo quomodo cōpositū sit illud unguentū. Et locutus est dominus, inquit, ad Moysen dicēs: Accipe tibi florē myrrhæ electæ quingētos siclos, & cinamomū suauē ducentos quinquaginta siclos, & calamū suauem ducētos quinquaginta siclos, & calix quingētos siclos secundū siclū sanctū, & oleū ex oliuis Hīn, & facies illud oleū chrisimatis sancti unguentū arte pigmentarij. Hæc autem in lege quidem referri audierat spōsa, sed rationē eorum ueritatemq; nunc perspicit. Vide ergo quod istæ quatuor species unguenti istius, formā tenebāt incarnationis uerbi Dei, quod ex quatuor elementis compaginatū corpus assumpsit, in quo corpore myrrha illa mortis eius, quā siue ut pontifex pro populo, siue ut sponsus pro spōsa suscepit, seruat indicia. Quod uerò nō simpliciter myrrha, sed flos myrrhæ, & myrrhæ electæ scriptū est, non solū mortem eius, sed & primogenitū eum futurū ex mortuis indicabat, atq; eos qui complantati fuissent similitudine mortis eius, non solum uocatos, sed electos futuros. Cinamomum uerò immaculatum dicitur, propter ecclesiā sine dubio, quam purificauit lauacro aquæ, & immaculatam fecit non habentē maculā, aut rugam, aut aliquid huiusmodi. Sed & calamus assumitur, qui lingua eius etiā est calamus scribæ uelociter scribentis, doctrinæ gratiā pigmentis designās suauitatis. In eis quoq; species adhibet calidissimas, ut referātur ad ardētissima: in qua re uel spiritus sancti feruor, uel futuri per ignē iudicij ostēditur forma. Numerus uerò quingentorū, uel ducentorū

quinquaginta siclorū in eo mysterium tenet centupliciter perfectorū, ut remissionē pec-  
 catorum per eum datā significet. Quinquagenarius enim iubileus in his est quintupli-  
 citer positus. Sed hæc omnia oleo puro colligunt, per quod ostendit, uel misericordię,  
 uel salutis causa fuisse, quod is qui erat in forma dei formā serui suscepit: uel ea quæ ex  
 materiali substātia in Christo fuerāt assumpta, per spīritū sanctum redacta in unū fuisse,  
 atq; in unā speciē quę est persona mediatoris effecta. Illud ergo oleū materiale nullo ge-  
 nere oleum lætitię appellari potuit. Istud autē oleum, id est spīritus sancti unguentū, quo  
 unctus est Christus, et cuius nūc odorem percipiens sponsa admirata est, oleum lætitię,  
 quia fructus spīritus gaudiū est, merito appellatur: quo unxit eum deus, qui dilexit iusti-  
 tiam & odio habuit iniquitatē. Propterea enim dicitur: Unxit eum dominus deus suus *Psal. 45*  
 oleo lætitię præ participibus suis. Et ideo odor unguentorum eius est super omnia aro-  
 mata. Simili autē expositione utimur, etiā si ad unamquancq; animā in amore & deside-  
 rio uerbi dei positam transferatur hic sermo, cui fuerint omnes doctrinæ per ordinē de-  
 cursæ, in quibus ante agnitionem uerbi dei exercitata uidet & erudita, siue ex morali-  
 bus descendētes, siue ex naturalibus scholis. Erant enim ei omnia ista aromata quædā,  
 pro eo quod in his institutio probabilis, & morum conquiritur emēdatio, quod depre-  
 henditur in his uanitas seculi, & caducarū rerum respuuntur falsa miracula. Erant ergo  
 ei hæc omnia uelut aromata & odora menta quædā animæ pigmenta. Sed ubi ad cogni-  
 tionem diuinorum mysteriorū, & diuinorum dogmatum scientiam uentū est, ubi ad ia-  
 nuas sapientiæ ipsius, & sapientiæ non huius mūdi, neq; principum huius mūdi qui de-  
 struuntur accessum est, sed ad ipsam Dei sapientiam, quæ inter perfectos differit, & ubi  
 mysterium quod prioribus generationibus non fuit notum, filiis hominum reuelatum  
 est: ubi, inquam, anima ad tantī cognitionē ascendit arcani, merito dicit: Odor unguen-  
 torum tuorū, spīritalis scilicet intelligētia & mystica, super omnia aromata moralis na-  
 turalisq; philosophiæ. Non autē lateat nos quod in quibusdam exemplaribus pro eo qđ  
 legimus: Quia bona sunt ubera tua super uinum, inuenimus scriptum: Quia bonę sunt  
 loquelæ tuæ super uinum: quod quamuis uideantur significasse euidentius ea ipsa quæ  
 nobis spiritali interpretatione diserta sunt, tamē nos Septuaginta interpretū scripta per  
 omnia custodimus, certi quod spīritus sanctus mysteriorū formas obtectas inesse uolu-  
 it in scripturis diuinis, & nō palām atq; in propatulo haberi. Unguentum exinanitū no-  
 men tuum. Propterea adulescētulæ dilexerūt te, ac traxerūt te post se. In odore unguen-  
 torum tuorū curremus. Historica quidē expositio eadem quæ in superioribus, percur-  
 rit etiam in præsentī loco, donec fiat aliqua mutatio personarum, ita quippe ordo dra-  
 matis qui à nobis in hac expositione receptus est, poscit. Possunt sanē in prophetia quę-  
 dam uideri ex persona sponsæ prolata de Christo, quod futurum esset in aduentu domi-  
 ni & saluatoris nostri, ut nomen eius ita per orbem terræ & per uniuersum mūdum dif-  
 funderetur, ut fieret odor suauitatis in omni loco, sicut & Apostolus dixit: Quia Christi *2 Cor. 2*  
 bonus odor sumus in omni loco: alijs quidem odor ex morte in mortem, alijs autē odor  
 de uita in uitam. Si enim omnibus fuisset odor de uita in uitam, dixisset utiq; & hic: om-  
 nes dilexerunt te & traxerunt te. Sed nunc ait, ubi nomen tuum est factum unguentum  
 exinanitum dilexerunt te, non illæ uetulæ, ac ueterem hominem indutæ animę, neq; ru-  
 gas habentes, neq; maculas, sed adulescētulæ in augmento scilicet ætatis & pulchritu-  
 dinis positæ animæ, quæ semper innouantur, & de die in diem renouantur, nouū se ho-  
 minem induentes qui secundum Deum creatus est. Propter istas ergo adulescētulas, &  
 in augmentis uitę & profectibus positas, exinaniuit se ille qui erat in forma dei, ut fieret  
 unguentum exinanitum nomen eius: ut non iam inaccessible lucem tantummodo habi-  
 taret, & in forma dei permaneret, sed uerbum caro fieret, quo possent istæ adulescētulæ  
 & in augmentis profectuum positæ animæ, non solum diligere, sed & trahere eū ad se.  
 Trahit enim unaquęq; anima & assumit ad se uerbū dei, pro capacitatis et fidei suę men-  
 sura. Cum autē traxerint ad se animę uerbū dei, & sensibus suis atq; intellectibus inserue-  
 rint, & dulcedinis eius & odoris senserint suauitatē, ubi unguentorū eius fragrantiam ce-  
 perint, ratione duntaxat aduētus eius, & redemptionis ac passionis causas, charitatēq;  
 agnouerint, qua pro salute omniū usq; ad mortē crucis immortalis accessit, & his omni-  
 bus uelut diuini cuiusdā & ineffabilis unguētī odoribus inuitatę adulescētulę, id est ani-

mæ plenę uigoris atq; alacritatis effectę, currūt post ipsum, atq; ad odorē suauitatis eius  
 nō lento gradu, nec tardis passibus, sed rapido cursu, & tota properatione festināt, quē-  
 admodum & ille qui dicebat: Sic curro ut comprehendam. Verum quod ait: Unguen-  
 tum exinanitum nomē tuum, propterea adolescentulę dilexerunt te, & traxerūt te post  
 se: In odorem unguentorum tuorum curremus: trahunt ad se Christum adolescentulę,  
 si quidem de ecclesiis intelligatur, quæ una quidē est cum perfecta est. Multæ uerò sunt  
 adolescentulę, cum adhuc instruuntur & proficiunt. Istæ ergo trahunt ad se Christum  
 per fidem, quia Christus ubi uiderit cōgregatos duos, uel tres in fide nominis sui, uadit  
 illuc, & est in medio eorum, fide eorum tractus & unanimitate prouocatus. Si uerò ter-  
 tia expositione de anima uerbum dei sequēte intelligi hæc oportet, quæcūq; anima fue-  
 rit erudita primo in moralibus, secūdo etiā in naturalib. exercitata, per illa omnia quæ  
 in his disciplinīs edoceri suprā ostendimus, ipsa morum emendatio, & eruditio rerū, ac  
 probitas disciplinæ trahit ad se uerbū Dei, & libēs trahitur: gratissime enim ad eruditas  
 animas uenit, & trahi se ab his indulgenter accipit, benigneq; cōcedit. Requiro sanē, si  
 solum nomen eius, quia unguentū factū est exinanitū, tantum operis egerit, & ita susci-  
 tarit adolescentulas, ut primo traherent eū ad se, & habentes eum apud se, caperent un-  
 guentorū eius odorē, & statim currerēt post eū: si hæc inquam omnia solo nomine eius  
 effecta sunt, quid putas faciet ipsa eius substantia? Quid ex illa adolescētulæ istæ uirtutis,  
 quid uigoris accipient, si quo pacto potuerint aliquando ad ipsam eius incōprehensibi-  
 lem atq; ineffabilem substantiā peruenire? Ego puto quod si ad hoc aliquādo peruene-  
 rint, iam non ambulent neq; currāt, sed uinculis quibusdam charitatis eius astrictę adhe-  
 reant ei, ne ultrā mobilitatis alicuius ullus in eis resideat locus, sed sint cum eo unus spi-  
 ritus, & cōpleatur in eis illud quod scriptum est: Sicut tu pater in me, & ego in te unum  
 sumus, ita & isti in nobis unū sint. Sed nūc interim (ut uidetur) spōsa cōsociatis sibi ado-  
 lescētulis multis, quarū in posterioribus nullus esse numerus dicit, ab uno solo sensu id  
 est odoratu tantūmodo capta, currere se in odorem unguentorum spōsi commemorat:  
 siue quod ipsa cursu indigeat adhuc & profectu, siue quod ipsa quidem perfecta sit, pro  
 his autē adolescentulis quæ adhuc cursu & profectibus indigent, etiam ipsa se currere fa-  
 tetur: sicut & ille qui cū ipse sub lege non esset, fit tamē sub lege, ut eos qui sub lege sunt  
 lucrifaciat. Et iterū cum in lege sit Christi, his tamē qui sine lege sunt fit & ipse sine lege,  
 ut eos qui sine lege sunt saluet. Et hoc fit (ut diximus) solo adhuc odoratu eius accepto.  
 Quid putas agēt cum & auditū earū & uisum & tactum, gustumq; occupauerit uerbum  
 dei, & singulis quibusq; sensibus uirtutes ex se competentes naturæ earum capacitatiq;  
 præbuerit: Ita ut oculis si uidere potuerit gloriā eius, gloriā tanquam unigeniti à pa-  
 tre, aliud ultra iam uidere nolit, neq; auditus aliud quā uerbū uitę et salutis audire. Sed  
 et cuius manus palpauerit de uerbo uitę, nihil ultra materiale, nihil fragile caducūq; pal-  
 pabit, nec gustus cum gustauerit bonū uerbū dei, carnemq; eius & panem qui de cœlo  
 descendit, aliud quid post hæc gustare patietur. Prę dulcedine nanq; ipsius, & suauitate  
 omnis reliquus ei sapor asper uidebitur & amarus, & ideo hoc solo uescetur. Omnem  
 nanq; suauitatem quācūq; cupierit in hoc inueniet, ad omnia nanq; aptum se reddit, et  
 habilē. Deniq; his qui ex incorruptibili semine regenerātur, rationale & sine dolo ef-  
 ficitur lac: his uerò qui infirmantur in aliquo, olera se præbet ad hospitalitatis amicitia,  
 & gratiā. His uerò qui pro possibilitate sumendi, exercitatos habēt sensus ad discretio-  
 nem boni & malī, cibum se solidū præbet. Si qui uerò sunt qui exierint de Ægypto, &  
 secuti columnam ignis & nubis in eremum uenerint, de cœlo ad illos descēdit, minutū  
 & subtilem eis præbens cibum angelico similem, ita ut panem angelorum māducet ho-  
 mo. Habet & alias multas in semetipso atq; innumeras ciborū differētiās, quas interim  
 pelle quis & carne ossibusq; indutus & neruis capere non potest. Qui autē dignus fue-  
 rit redire & esse cum Christo, quiq; in paruo fidelis inuētus, constituet super multa, ille  
 gustabit et capiet uoluptatem domini, perductus ad locum quendā qui pro huiusmodi  
 ciborum copijs & uarietatibus, delitiarū nominat locus. Propter quod & in Eden po-  
 situs dicitur, quod delitias indicat. Ibi enim dicitur ad eum, delitiare in domino. Delitia-  
 bitur autē nō in uno solo edendi gustandiq; sensu, sed & auditu delitiabitur & uisu & ta-  
 ctu odoratūq; delitiabitur. In odorē nanq; ungenti eius curret. Et ita omnibus sensibus  
 suis

suis delletabitur in uerbo dei is qui ad summā perfectionis ac beatitudinis uenerit. Unde & in his positi locis, deprecamur auditores horum, ut mortificent carnales sensus, ne quid ex ijs quæ dicuntur, secundū corporis motus excipiant, sed illos diuiniore interioris hominis ad hæc capiēda sensus exhibeāt: sicut Solomon edocet nos, dicens: Sensum autem diuinū inuenies. Et ut Paulus quoq; ad Hebræos scribit de perfectis (ut supra me <sup>Heb. 5</sup> morauimus) qui exercitatos habent sensus ad discretionem boni uel mali: ostendēs esse in homine præter hos corporeos sensus, quinq; alios nihilominus qui exercitatio queruntur, et exercitati dicunt, cum scilicet intelligentiā rerū acumine aciore discutunt. Non enim perfunctorie & ut libet audiendū est quod apostolus de perfectis dicit, quia exercitatos habent sensus ad discretionē boni uel mali. Quod ut clarius elucescat, sumamus si uideatur exemplū ab his corporalib. sensibus, & ita demū statim ad illos diuinos quos scriptura nominat sensus interioris hominis ueniamus. Si em̄ corporeus oculus exercitium uisus habeat, nullo impediente obstaculo, integre & absq; ulla falsitate, uel colores corporū, uel magnitudines qualitatesq; deprehendet. Nam si aut caligine, aut alia qualibet infirmitate impediāt aspectus, & rubrum pro albo, et uiridē pro nigro, aut rectum putat esse aliquid, cum curuū sit & tortuosum, conturbabitur sine dubio iudicium mentis, & aliud pro alio agetur. Ita ergo & interior uisus, nisi eruditiōe & industria fuerit exercitatus, quo per multā peritiā discretionē boni habeat ac mali, sed ignorātia & imperitiā tanquā caligo oculis inciderit, aut etiam malitiæ alicuius languor tanquā lippis oculis accesserit, discrimē boni aut mali intueri nullatenus possit: & inde fiet ut mala p̄ bonis agat, bona uerò pro malis spernat. Secundū hāc uerò formam quā de uisu corporis animæq; tractauimus, consequenter etiam de auditu et gustu & odoratu, tactuq; per singulas quasq; sui generis uirtutes sensuum corporalium referemus ad animę sensus, quę in singulis adhibere debeāt exercitia, quæq; debeat emēdatio parari, dilucide recognoscemus. Hæc aut paulo latiori excessu profecuti sumus, ostendere uolentes odoratum sp̄sæ & adolescentularum, quo odoratae sunt odorem unguentorum sponsi, nō corporis sensus, sed diuini odoris illius, & interioris qui appellatur hominis, dici: Hic ergo odoratiōis sensus in quo sanus est et integer, odore Christi accepto ex uita adducit ad uitā. Si uerò non sit sanus, hoc odore suscepto de morte in mortē deicit, secundū illum qui dicebat: Quoniam Christi bonus odor sumus, alijs quidem de uita in uitam, alijs autē odor de morte in mortem. Deniq; & hi quibus intellectus herbarū est pigmentorumq; peritiā, ferunt quædam esse pigmenta, quorum si odorem ceperint nōnulla animalia cōtinuo intereunt: alia uerò eodem odore recreantur, uitamq; recipiunt. Et nūc ergo in his ipsis expositionibus & sermonibus quos habemus in manibus, uidetur alijs esse uita ex uita, alijs uerò mors ex morte. Nā si hæc exponi ita audiat animalis qui dicit homo, qui nō potest percipere & intelligere quæ sunt spiritus dei, irridebit sine dubio, atq; inepta hæc esse & inania pronunciat, dicens somnia potius quàm rerū causas & dogmata diuina tractari. His ergo odor hic Cantici canticorum efficit de morte in mortē, scilicet de morte infidelitatis, in mortem iudicij & condēnationis. Sequentibus uerò spiritualē sensum & subtilem, atq; intelligentibus maiorem inesse ueritatem in his quæ non uident, q̄ in his quæ uidentur, & ueriora haberi apud deum inuisibilia & spiritalia magis q̄ uisibilia & corporalia, amplectēda sine dubio huiusmodi intelligentiā uidebit & sequenda. Agnoscunt enim tale esse intelligendæ ueritatis iter quo peruenitur ad deū. Sed si quidem alienus à fide sit is, qui hæc stulta iudicat et irridenda, nihil mirū. Si uerò aliquis ex his sit qui uidentur credere, & scripturarū auctoritatē recipere, nō tamen recipit expositionis huius spiritualis formā, sed irridet & derogat, tentemus ex alijs scripturarū locis instruere eum, ac persuadere. Qui si forte poterit sic respiscere, & talia quædā dicamus ad eum, scriptum est: Præceptū dñi lucidum illuminans oculos. Dicat ergo nobis, <sup>Psal. 19</sup> qui sunt oculi qui illuminantur luce præcepti. Et iterum: Qui habet aures audiendi, <sup>Matt. 13</sup> audiat. Quæ sunt aures istæ, quas q̄ habuerit, ipse solus uerba Christi audire dicatur? Et iterum: Quoniam Christi bonus odor sumus deo, & in alijs: Gustate & uidete quoniam <sup>Psal. 33</sup> suauis est dominus. Et quid alius ait: Manus nostræ palpauerūt de uerbo uitæ. Putasne <sup>1 Ioan. 1</sup> in his omnibus nō mouebit, ut aduertat hæc uniuersa non de corporeis sensibus dicta, sed de his quos secundū interiorē hominē inesse unicuiq; docuimus: nisi si cōtentionis

& iactantia vitio agitur qui eiusmodi est. Quibus vitijs quoniã & uisus ille interior excęatur, & odoratus occluditur, & obturatur auditus, merito nec uidere quę spiritualia sunt, nec audire potest, sed nec odorẽ istũ Christi capere, quo nunc recepto adolescentulã istã in quibus bene sanus & uigens erat hic sensus, in odorẽ unguentorum eius currunt post ipsum, nec deficiunt currentes, aut laborãt, quia suauitate odoris ipsius qui est de uita in uitam, refectã iugiter inualescunt. Potest adhuc & hoc modo accipi quod ait.

- Cant. 1* Vnguentum exinanitũ nomen tuum. Propterea adolescentulã dilexerunt te. *Phil. 2* Vnigeni-  
*Ioan. 1* tus dei filius cum in forma dei esset, exinaniuit semetipsum, & formã serui accepit. Exinaniuit autem de plenitudine sine dubio in qua erat. Illi ergo qui dicũt, quia de plenitudine eius nos omnes accepimus, ipsi sunt adolescentulã, quę de ea plenitudine ex qua se ille exinaniuit, & factum est unguentũ exinanitum nomẽ eius, percipiẽtes dicunt: Post te in odorem unguentorũ tuorum curremus. Nisi enim exinanisset unguentum, hoc est plenitudinẽ diuini spiritus, & humiliasset se usq; ad formam serui, capere eum nullus in illa diuinitatis plenitudine potuisset, nisi sola fortassis sponsa, pro eo quod uidet indicare, quia unguentũ istud exinanitum non sibi, sed adolescentulis dilectionis dederit causam. Sic em̄ dicit: Vnguentũ exinanitũ nomen tuũ, propterea adolescentulã dilexerũt te. Ac si diceret: Adolescentulę quidem propterea dilexerũt te, quia exinanisti te de forma dei, & factum est unguentũ exinanitum nomẽ tuum. Ego autem nõ pro exinanito unguentõ, sed pro ipsa unguentorũ plenitudine dilexi te. Hoc em̄ indicat in eo loco ubi  
*Cant. 4* dicit: Odor unguentorũ tuorum super omnia aromata. Quod uerõ etiam ipsa cum adolescentulis post ipsum se cursuram dicit, hanc aĩo esse causam, quod perfecti quicq; omnia omnibus fiant, ut oēs lucrifaciant, sicut iam supra exposuimus. Introduxit me rex in cubiculũ suum, exultemus & iocundemur in te. Cum indicasset sponso suo spõsa, quod adolescentulã odore eius captã currerent post ipsum, cum quibus etiã ipsa cursura esset, ut eis formam præberet in omnibus, nunc quasi laboris sui cõsecuta iam palmã pro eo quod cõcurrerit currentibus, introductã se dicit ab sponso rege in cubiculũ eius, ut ibi uideret cunctas opes regias. In quo utiq; merito iocundat & exultat, utpote quã secreta iam regis & arcana prospexerit. Hic est, secundũ propositũ dramatis ordinẽ, quasi historicus intellectus. Sed quoniã cuius res agitur, ecclesia est ad Christum ueniẽs, uel anima uerbo dei adherens, quod aliud cubiculum Christi et promptuarium dei credendum est, in quo uel ecclesiam, uel animam coherentem sibi introducat, nisi ipse arcanus  
*1 Cor. 2* sensus eius & recõditus, de quo & Paulus dicebat: Nos autẽ sensum Christi habemus, ut sciamus quę a deo donata sunt nobis. Hęc illa sunt quę oculus nõ uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderũt, quã preparauit deus his qui diligunt eũ. Cum igitur Christus animã in intelligẽtiam sui sensus inducit, in cubiculũ regis introducta dicitur, in quo sunt thesauri sapientiã ac scientiã eius absconditi. Non mihi autem uacuum uidetur, quod cum potuisset dicere: Introduxit me spõsus meus, aut fraternus meus, aut aliquid huiusmodi, ut ei moris est: nunc quia cubiculũ dictura erat, regis dixerit cubiculum, & non aliud nomẽ posuerit, in quo posset fortassis aliquis etiam mediocris intelligi. Sed propterea arbitror in his regem nominatum, ut ostenderet per hoc nomen prædiues cubiculum, utpote regium, & multis atq; immẽsis opibus repletũ. Prope hunc omnino mihi uidetur fuisse & ille qui dixit raptum se esse usq; ad tertium cœlũ, & inde in paradisum, & audisse uerba ineffabilia quã nõ licet homini loqui. Quid enim putas esse illa uerba quã audiuit: nõne a rege audiuit: & in cubiculo, & prope cubiculũ positus audiuit? Et erãt credo illa uerba talia quẽdã, quã horrarentur eum ad maiorẽ profectum, & promitteret ei quod si perseueraret usq; in finẽ, & ipse posset intrare Regis cubiculum, secundũ illud quod per Prophetã quoq; promittitur: Dabo tibi thesauros obscuros, occultos, inuisibiles. Aperiã tibi ut cognoscas quia ego sum dominus deus tuus, qui uocaui nomen tuũ Israel. Currunt ergo adolescentulã post ipsum, & in odorẽ eius, unaquæq; tamen pro uiribus, alia quidẽ uelocius, alia paulo tardius, alia etiã inferius cæteris et ultimo, alia primo loco. Verũtamen currunt omnes, sed una est perfecta, quę currit sic, ut perueniret, & sola acciperet palmã. Sola, em̄ est quę dicit: Introduxit me rex in cubiculũ suum, cũ prius nõ de se sola sed de pluribus dixisset, quia post te in odorẽ unguentorum tuorũ curremus. Introducitur ergo in cubiculũ Regis, & efficit regina, & ipsa

ipsa est de qua dicitur: Regina astitit à dextris tuis in uestitu deaurato, circumdata uarieta- Psal. 45  
 tibus. De his autem adolescentulis quæ post ipsa cucurrerant, & procul ab ea in ipsis currē  
 di spatijs remanserant, dicitur: Adducentur regi uirgines post eam, proximæ eius addu-  
 centur tibi: Adducentur in lætitia & exultatione, inducentur in templū regis. Sed & il-  
 lud etiam in hoc aduertere debemus, quod sicut rex habet cubiculū quoddā in quod re-  
 ginam siue sponsam suam introducit: ita habet & sponsa suum cubiculū in quod mone-  
 tur per uerbū dei ingressa claudere ostiū, & ita conclusis illis omnibus diuitijs suis intra  
 illud cubiculū orare eum qui uidet in abscondito, & perspicit quantas opes, animi scili-  
 cet uirtutes, intra cubiculū suum sponsa condiderit, ut uidens eius diuitias det ei petitio-  
 nes suas. Omni enim habenti dabitur. Quod autem ait, exulemus & iocundemur in te, ui-  
 detur ex persona adolescentularū dici, uel optantium, & petentiū à sponso, ut quemad-  
 modum sponsa cōsecuta est quæ perfecta sunt, & exultat, ita ipse etiā suum implere cur-  
 sum, & peruenire usq; ad Regis cubiculum mereantur, ut perspectis & intuitis omnib.  
 his de quibus illa gloriatur, etiam ipsa exultet sicut & illud, & iocundetur in eo. Vel e-  
 tiam ad sponsam potest dictū uideri ab adolescentulis cōgratulantibus ei & promitten-  
 tibus petentibusq; ut participes fiant exultationis eius & lætitiæ: Diligemus ubera tua  
 super uinum. Sponsa quidē postquam oscula meruit ab ipso sponsi ore suscipere, & ube-  
 ribus eius perfrui, ait ad eum: Bona sunt ubera tua super uinum. Adolescētulæ uerò quæ Cant. 2  
 nondum ad id beatitudinis uenerant, neq; summam perfectionis acceperant, neq; usu &  
 operibus fructus perfectæ charitatis expleuerāt, ut quasi expertæ pronunciarēt de ube-  
 ribus eius, quia bona sunt, uidentes tamen sponsam delectari & refici ex uberibus spon-  
 si, ex fontibus scilicet sapientiæ & scientiæ quæ de uberibus eius fluunt, & pocula cœle-  
 stis doctrinæ sumentes tanquā imitatrices perfectionis eius, & desiderantes eisdē uesti-  
 gijs incedere, promittunt, & dicunt: Diligemus ubera tua super uinum: id est, nos quidē  
 nondum in id perfectionis ascendimus, ut iam diligamus ubera tua plus q̄ uinū, uel cer-  
 te ubera tua quæ sunt super uinum: (utroq; enim modo sensus stare uidebitur) gerimus  
 tamen spem, utpote adolescētulæ, in id ætatis proficere, quo possimus non solū pasci et  
 ali ex uberibus uerbi dei, sed & diligere alentem. Istæ sunt autem adolescētulæ (ut sepe  
 iam diximus) animæ, quæ primis & initio ualentibus eruditionibus uidentur imbute, &  
 uelut uino quodam lætificatæ, institutione tutorum duntaxat curatorūq; & pædagogū,  
 utpote paruulæ, & quæ haberent quidem in uiribus amare uinum, non tamen haberēt  
 in ætate, ut amore uberū sponsi moueri aut excitari possent. Sed ubi aduenit plenitudo  
 temporū, & Christus in eis profecit ætate & sapiētia, & iam sentire cœperint quid sint  
 ubera sponsi, quæq; in his perfectio uerbi dei, et doctrinæ spiritalis plenitudo designet,  
 etiam promittūt, quia plus q̄ uinum quod nunc tanquā paruulæ bibunt, dilecturæ sint  
 ubera sponsi: id est propensiores futuræ erga perfectæ, & omni plenitudine decreta dog-  
 mata Christi, q̄ iam antea, siue in communibus studijs, siue in legis & prophetarū uisæ  
 sunt institutionibus extitisse. Æquitas dilexit te. Etiam hoc mihi uidentur adolescētula Cant. 2  
 læ proloqui, uelut satisfaciētes pro eo quod dilecturas super uinum se promiserūt ube-  
 ra sponsi, & non iam in præsentī diligant, neq; integram uim charitatis ostendant. Est er-  
 go uox ista uelut inculantium semetipsas: quasi quæ nondū abiecta omni iniquitate per-  
 uenerint ad æquitatem, ut possint iam diligere super uinum ubera sponsi, scientes incō-  
 ueniēs esse, ut aliquid adhuc resideat iniquitatis in eo qui ad perfectionē spiritalis et my-  
 sticæ doctrinæ peruenerit. Quia ergo summa perfectionis in charitate cōsistit, charitas  
 aut nihil iniquitatis admittit, ubi autē nihil iniquitatis est, ibi sine dubio est æquitas, me-  
 rito ergo æquitas esse dicitur, quæ diligit sponsum. Et uide si nō ob hoc etiam uidetur il-  
 lud in Euangelio à saluatore dictum: Si diligitis me, māda mea seruate. Si ergo qui dili- Ioan. 14  
 git Christum, mandata eius custodit, & qui mandata eius custodit, nulla est in eo iniqui-  
 tas, sed æquitas in eo pmanet: æquitas ergo est, quæ mādata eius custodit, & diligit Chri-  
 stum. Et rursus: Si is qui mandata custodit, ipse diligit Christū, mādata autem in æqui-  
 tate seruant, & æquitas est quæ diligit Christū: qui iniquum aliquid gerit, neq; mandata  
 custodit, neq; diligit Christum. Erit ergo ut quantum iniquitatis in nobis est, tantū lōge-  
 simus à dilectione Christi, & tantum mādatorum eius præuaricatio habeatur in nobis.  
 Et ideo regulam quādam directam ponamus esse æquitatē, ut si quid in nobis iniquita-  
 tis est

tis est, hanc adhibentes & superducentes directoriã mandatorũ dei, si quid in nobis curuum, si quid tortuosum est, ab huius regulæ linea refecer, ut possit & de nobis dici: *Æquitas dilexit te.* Possumus autem etiam sic accipere, ut uideatur simile esse quod dixit: *Æquitas dilexit te,* ac si dixisset: *Iustitia dilexit te, & ueritas, & sapientia, & pudicitia, & singulæ quæq; uirtutes.* Nec mireris sanè, si dicimus uirtutes esse quæ diligunt Christum cum in alijs ipsarũ uirtutum substãtiã Christum soleamus accipere. Quod et frequenter inuenies in scripturis diuinis pro locis & opportunitatibus aptari. Inuenimus namq; *Psal. 85* ipsum & iustitiam dici, & pacem, & ueritatem. Et rursus scriptum est in Psalmis: *Iustitia & pax osculatae sunt, & Veritas de terra orta est, & iustitia de cœlo prospexit.* Quæ utique omnia & ipse esse, & rursus ipsum dicuntur amplecti. Sed et sponsus idem dicitur, idem etiam sponsa nominatur, ut in prophetia scriptum est: *Sicut sponsio imposuit mihi mitram, & sicut sponsam ornauit me ornamento.*

## Homilia Secunda.

*Cant. 1* **V** S C A sum & formosa filiã Hierusalem, ut tabernacula Cedar, ut pelles Solomoni. In alijs exemplaribus legimus: *Nigra sum & formosa.* Rursus in hoc persona sponsæ loquentis introducit: loquentis autem non ad illas adolescentulas, quæ cum ipsa currere solent, sed ad filias Hierusalẽ, quibus tanquam his quæ derogauerint fœditati eius, respõdere uidetur, & dicere: *Fusca quidem sum, uel nigra,* quantum ad colorem spectat, filiã Hierusalẽ: *formosa uerò si quis interna membrorũ lineamenta perspiciat.* Nã & tabernacula, inquit, Cedar, quæ est gens magna, nigra sunt, & ipsa gens Cedar nigredo uel obscuritas interpretatur. Sed et pelles Solomoni nigre sunt, nec tamen ob hoc tãto Regi in omni gloria sua pellicum uisa est indecora nigredo. Non ergo mihi ò filiã Hierusalem, exprobetis culpam coloris, cum siue naturalis, siue exercitio quæsita corpori pulchritudo non desit: Hæc continet historicũ drama, & propositæ fabulæ species. Sed redeamus ad ordinem mysticum. Hæc sponsa quæ loquitur, ecclesiæ personam tenet ex gentibus congregatã. Filiã uerò Hierusalem ad quas ei sermo est, illæ sunt animæ quæ propter electionẽ patrũ charissimæ quidẽ dicuntur, inimicæ autem propter euangeliũ. Istæ sunt filiæ Hierusalem ciuitatis terrenæ, quæ uidentes ecclesiã ex gentibus, quamuis pro eo ignobilẽ, quod generositatẽ sibi Abraham, & Isaac, & Iacob nõ possit ascribere, obliuiscunt tamen populũ suum, & domũ patris sui, atq; ad Christũ uenientem, spernunt eã, & pro ignobilitate generis offuscant. Quod sponsa sentiens filias prioris populi imputare sibi, & pro hoc etiã nigrã se appellari, quali quæ paternæ eruditionis nõ habeat claritatẽ, respondens ad hæc, dicit: *Nigra sum quidẽ ò filiã Hierusalẽ,* pro eo quod nõ descẽdo de stirpe clarorũ uirorũ, neq; illuminationẽ Moysi legis accepi, habeo tamen pulchritudinem meam mecũ. Nam & in me illud primum est, quod ad imaginem dei in me factum est: nunc accedens ad uerbũ dei, recepi speciẽ meam. Quamuis enim pro coloris obscuritate cõparetis me tabernaculis Cedar, & pellicibus Solomoni, tamẽ et Cedar ex Ismaele descendit. Secũdo namq; loco ex Ismaele natus est, qui Ismael nõ fuit expers diuinæ benedictionis. Sed & pellicibus Solomoni comparatis me, quæ nõ aliæ sunt q̃ pelles tabernaculi dei, & tamen miror uos ò filiæ Hierusalem, mihi coloris uelle exprobrare nigredinẽ. Quomodo non meministis quod in *Gen. 16* lege uestra scriptũ est, quid passa sit Maria, quæ derogauit Moyli cũ *Num. 12* Æthiopissã nigrã accepisset uxorẽ? Quomodo ignoratis illius imaginis adumbrationẽ in me nũc ueritate cõpleri? Ego sum illa Æthiopissa, ego sum nigra quidẽ pro ignobilitate generis, formosa uerò propter poenitentia & fidẽ. Suscepi em̃ in me filium dei, recepi uerbũ carnẽ factũ. Accessi ad eum qui est imago dei primogenitus omnis creaturæ, & qui est splendor gloriæ, & fulgor substãtiæ eius, & facta sum formosa. Tu ergo quid improperas cõuertenti se à peccato, quod utiq; lex fieri uetat? Et quomodo tu gloriaris in lege, præuaricans legẽ? Verum quoniã in his locis sumus ubi ecclesia quæ ex gentibus uenit, nigrã se esse dicit & formosã, quãuis longũ uideatur esse & operosum, colligere ex scripturis diuinis, in quibus uel qualiter sacramenti huius forma præcesserit: tamẽ nõ mihi penitus omittendũ uidet, sed quã potuerit breuiter memorandũ. Primo ergo in Numerorum libro de Æthiopissã ita scriptũ est: Et locuta est Maria ad Aaron, & derogauerunt **Moyli**

**Moyſi propter mulierem Æthiopiffam quam accepit uxorem, & dixerunt: Nunquid Moyſi ſoli locutus eſt dominus? Nōne & nobis locutus eſt? Et iterū in tertio Regnorū libro ſcriptū eſt de Regina Saba, quia uenit à finibus terræ audire ſapientiam Solomonis, hoc modo: Regina Saba audiuit nomē Solomonis, & nomen domini, & uenit tentare eum in parabolis, & uenit in Hieruſalē in uirtute magna ualde: & cameli portātes odoramenta, & aurum multum ualde, & lapidem precioſum, et ingreſſa eſt ad Solomonē, & locuta eſt ei omnia uerba quę erāt in corde ſuo, & enunciauit ei Solomon omnia uerba eius, & non fuit uerbū quod omiſerit rex, & nō enunciauerit ei rex. Et uidit Regina Saba omnem prudētiam Solomonis, & domum quam ædificauit, & cibos Solomonis, & ſedem puerorum eius, & ordinem miniſtrorum eius, & uestes eius, & uini fuſores eius, & holocauſta eius quę offerebat in domo domini, & obſtupuit, & dixit ad regem Solomonem: Verus eſt ſermo quem ego audiui in terra mea de uerbo tuo, & prudētia tua, & non credidi ijs qui loquebantur mihi, uſquequo uenirem, & uiderunt oculi mei, & ecce nec mediā pars eſt quę nunciabātur mihi. Addidiſti em̄ bona ſuper omnem auditionem quā audiui in terra mea. Beatę mulieres tuę, beati pueri iſti qui aſſiſtūt in conſpectu tuo ſemper, & audiunt omnem prudētiam tuam. Sit dominus deus tuus benedictus, qui tibi dedit ſedem Iſrael. Quoniam dilexit dominus Iſrael, & uoluit eū permanere in eternū, poſuit te Regem ſuper eos, ut facias iudicium cum iuſtitia, et iudices eos. Et dedit Solomoni centum uiginti talenta auri, & odoramenta multa ualde, & lapidē precioſum. Nūquam talia uenerant odoramenta, nec in tanta multitudine quę dedit Regina Saba regi Solomoni. Hęc autem hiftoriam paulo latius repetere uoluimus, & inferre huic expoſitioni noſtrę, ſcientes intantū conuenire hęc ad perſonam eccleſię quę ex gentibus uenit ad Chriſtum, ut ipſe dominus in euāgelijs Reginę huius faceret mentionem, dicens eam ueniſſe à finibus terrę, ut audiret ſapientiam Solomonis. Auſtri autē reginam dicit eam, pro eo quòd Æthiopia in Auſtri partibus iaceat, & à finibus terrę qua ſi in ultimo poſita. Inuenimus autē huius ipſius reginę etiā Iosephū in hiftoria ſua facere mentionē, addētem etiā hoc, quod poſtea quā regreſſa eſt, inquit, à Solomone, Cambyſes rex miratus eius ſapientiam, quam ſine dubio ex Solomonis ſapientia ſuſceperat, cognominauit inquit, nomen eius Meroen. Refert autem quod non ſolum Æthiopię, ſed & Ægypti regnum tenuerit. Addemus autem adhuc & ea quę in Ixviij. pſalmo de hac eadem forma continentur. Ait ergo ibi: Diſperge gentes quę bella uolunt, ueniēt legati ex Ægypto, Æthiopia præueniet manus eius deo. Eſt adhuc quarto in loco apud Sophoniam prophetam de hac eadem figura hoc modo ſcriptū. Propterea ſuſtine me (dicit dominus) in die reſurrectiōis meę, in martyrio, hoc eſt in teſtimonio, quoniā iudiciū meum eſt ad cōgregationes gentiū, ut ſuſcipiā reges, & effundā ſuper eos omnem iram indignationis meę. In igne zeli mei conſumetur omnis terra. Quoniam tunc conuertā in populis linguam in generationem eius, ut inuocent omnes nomē domini, & ſeruiēt ei ſub iugo uno. De ultra flumina Æthiopię ſuſcipiā eos qui diſperſi ſunt, & afferēt ſacrificiū mihi. In die illa nō cōfunderis Saba ab omnibus adinuentionibus tuis, in quibus impie egifti in me. Sed & in Hieremias ſcriptū eſt, quod principes quidā populi Iſrael miſerint Hieremiā in lacum Melchias filij regis, qui erat in domo carceris, & depoſuerunt eum cum funibus, & in lacu nō erat aqua, ſed cœnū, & erat in cœno. Audiens autē Abdimelech, Æthiops uir eunuchus, qui erat in domo regis, quia miſerūt Hieremiā in lacū, locutus eſt regi, & dixit: Domine rex male fecerunt uiri iſti omnia quę fecerūt in Hieremiā prophetā, quia miſerunt eum in lacū, & morietur ibi à facie famis, quoniā non ſunt iam panes in ciuitate. Et præcepit rex ipſi Abdimelech Æthiopi, dicens: Tolle hinc triginta homines, & educ eum de lacu, ut non ibi moriā. Et quid plura? Abdimelech Æthiops fuit qui Hieremiā eduxit de lacu. Et paulo poſt factus eſt ſermo dñi ad Hieremiā dicēs: Vade, & dic Abdimelech Æthiopi, dicēs: Sic dicit dñs deus Iſrael: Ecce ego adduco uerba mea ſuper ciuitatē iſtā in mala, & nō in bona, & ſaluabo te in die illa, & non dabo te in manus hominū quos tu times. A facie eorū ſaluans ſaluabo te, & in gladio nō cades, ſed erit anima tua in ſalutē, quoniā cōſiſus es in me, dicit dñs. Hęc interim ad præſens de ſcripturis ſanctis occurrere potuerūt, quib. mihi uidet̄ propoſiti de Canticis canticorum uerſiculi myſteriū cōprobari, in quo dicit: Fuſca ſum, ſiue nigra, et formoſa filię Hieru-**

3 Reg. 10

Matt. 12

Pſal. 68

Soph. 1

Hier. 38

Hieru-

Hierusalē, sicut tabernaculū Cedar, & sicut pelles Solomonis. Inuenitur ergo Moyses  
 Num. 12 in Numeris accipere Æthiopissam uxore fuscā, uel nigram, pro qua Maria & Aaron  
 derogant ei, & indignantes dicunt: Nunquid Moyse soli dominus locutus est: nōne &  
 nobis locutus est? In quo si diligenter consideres, nec consequentiā sermo inuenitur ha  
 bere historicus. Quid enim conuenire ad rem uidebitur, ut indignātes pro Æthiopissa  
 dicant: Nūquid soli Moyse locutus est dominus: nōne & nobis locutus est? Oportebat  
 enim, si hoc erat in causa, dici ab eis, non oportuit te o Moyses, uxore accipere Æthio  
 pissam, & de femine Cham, sed de genere tuo, et de domo Leui. Horū nihil dicunt, sed  
 aiunt: Nunquid Moyse soli locutus est deus: nōne & nobis locutus est: in quo & mihi  
 uidetur secundū mysterium magis intellexisse quod gestum est, & uidisse quod iā Moy  
 ses, id est spiritalis lex, in nuptias & coniugiū cōgregatæ ex gentibus migraret ecclesie:  
 & Mariā quæ synagogæ derelictæ formā, & Aaron qui sacerdotij carnalis tenebat ima  
 ginem, uidentes ablatū esse à semetipsis regnū, & datum esse genti facienti fructus eius  
 dicere: Nūquid Moyse soli locutus est deus: Nōne & nobis locutus est: Deniq; & Moy  
 ses ipse cum tanta & tam magnifica eius opera fidei ac patiētiæ referant, nunquam tan  
 tis à deo elatus est laudibus, ut nunc cum Æthiopissam duxit uxorem. Nunc de eo dici  
 tur, quia Moyses homo mansuetus ualde super omnes homines qui sunt super terram.  
 Nunc & illud de eo dicit dominus, quia si fuerit in uobis propheta, in uisionibus loquar  
 ei, aut in somnijs, nō ita ut famulo meo Moyse, qui in omni domo mea fidelis est. Os ad  
 os loquar ad eum, in specie, & non in anigmate, gloriam domini uidit. Et cur nō timui  
 stis detrahare famulo meo Moyse? Hæc omnia pro coniugio Æthiopissæ Moyses audi  
 re meruit à domino. Verū de his plenius in libro Numerorū profecuti sumus: quæ si quis  
 dignum iudicat noscere, illa perquirat. Nūc aut sufficiat approbare ex his quod ipsa est  
 nigra, & formosa, & Æthiopissa, quæ Moyses, id est lex spiritalis, quæ sine dubio uerbū  
 dei & Christus est, in cōiugium suum asciscit, licet obrectent, & derogent filia Hieru  
 salem, plebs scilicet ista cum sacerdotibus suis. Videamus autem & ea quæ ex tertio Re  
 gnorum libro, ptulimus de regina Saba, & ipsa nihilominus Æthiopissa, cui testimoniū  
 dat dominus in euangelijs, quod in die iudicij ueniat cū uiris generationis incredulæ, et  
 cōdemnet eos, quia uenit à finibus terre audire sapientiā Solomonis. & addit, quia plus  
 Solomone hic, docēs per hoc plus esse ueritatē, q̄ ueritatis figuras. Venit ergo & hæc,  
 imò secundū figuram eius ecclesia uenit ex gentibus audire sapientiam Solomonis ue  
 ri, & ueri pacifici domini nostri Iesu Christi. Venit & hæc primo quidē tentans eum per  
 anigmata & quæstiones, quæ ei prius insolubiles uidebantur: atq; ab ipso de agnitione  
 uerbi dei, & de creaturis mūdi, uel de immortalitate animæ, & iudicio futuro, qd' apud  
 eam & apud doctores eius gentiles duntaxat philosophos incertū semper aut dubium  
 manebat, absoluitur. Venit ergo in Hierusalem, ad uisionem scilicet pacis, cum multitu  
 dine & uirtute multa, non enim cum una sola gente, ut prius synagoga solos habuit He  
 bræos, sed cum totius mundi gentibus uenit, deferens etiam munera digna Christo odo  
 ramentorum siquidē suauitates, opera scilicet bona, quæ ad deum per odore suauitatis  
 ascendūt. Sed & auro uenit repleta, sensibus sine dubio & rationabilib. disciplinis, quas  
 ante fidem adhuc ex cōmuni & scholari eruditōe collegerat. Detulit etiam lapidē pre  
 ciosum, quem ornāmēta morū possumus intelligere. Cum hoc ergo apparatu intrat ad  
 pacificū regem Christum, & ipsi aperit cor suū, in confessione & pœnitentiā scilicet præ  
 cedentiū delictorū, & locuta est ei omnia quæ erant in corde suo, propter quod & Chri  
 stus, qui est pax nostra, enūciauit ei omnia uerba eius, et non est uerbū quod omiserit rex,  
 & nō enūciauerit ei. Deniq; cū iam tempus passionis appropinquaret, sic loquit ad eā,  
 id est ad electos discipulos suos: Iā nō dicā uos seruos sed amicos, quia seruus nescit qd  
 faciat dominus eius. Ego aut nota feci uobis omnia quæcunq; audiui à patre meo. Sic er  
 go impletur quod dixit, quia nō fuerit uerbū quod nō enunciauerit pacificus dominus  
 reginæ Sabæ, id est ecclesie ex gētibus cōgregatæ. Quod si intuearis ecclesie statū, & di  
 spensatiōes eius ordinationesq; eius cōsideres, tūc aduertes quomodo regina mirata sit  
 omnem prudentiā Solomonis. Simul & require, cur non dixerit omnem sapientiā, sed  
 omnem prudentiā Solomonis: quoniā quidem eruditi uiri prudentiā de humanis nego  
 tijs, sapientiā de diuinis intelligi uolūt. Idcirco fortassis et ecclesia nūc interim Christi  
 pruden-

prudentiam miratur, dum in terris est, & inter homines conuersatur. Cum autem uenerit quod perfectum est, & de terris translata fuerit ad caelum, tunc uidebit omnem sapientiam eius, cum iam non per speciem, non per aenigmata, sed facie ad faciem de singulis quibusque perspiciet, Vidit autem & domum quam aedificauit, sine dubio incarnationis eius mysteria. Ipsa enim domus quam aedificauit sibi sapientia. Vidit & cibos Solomonis. Illos puto de quibus dicebat. Meus cibus est, ut faciam uoluntatem eius qui misit me, ut perficiam opus eius. Vidit & sedem puerorum eius. Ecclesiasticum puto ordinem dicit, qui in episcopatus uel presbyterij sedibus habet. Vidit & ordinationes, siue stationes ministrorum eius. Diaconorum (ut mihi uidetur) ordinem memorat altantium diuino ministerio. Sed & uestes eius uidit. Illas credo quibus induit eos, de quibus dicitur: Quicumque autem in Christo baptizati estis, Christum induistis. Sed & uini fusores eius, arbitror dici doctores, qui uerbum dei & doctrinam quasi uinum populis miscunt, quod auditorum corda laetificet. Vidit & holocausta eius orationum sine dubio supplicationumque mysteria. Hec ergo omnia ubi uidit in domo regis pacifici, imo Christi, nigra haec & formosa obstupuit, & ait ad eum: Verus est sermo quem audiui in terra mea de uerbo tuo, & de prudentia tua. 3 Reg. 10  
 Propter enim uerbum tuum quod agnouit uerum esse uerbum, ueni ad te. Omnia etenim uerba quae mihi dicebantur, & quae audiebam cum essem in terra mea, a doctoribus scilicet seculi & philosophis, non erant uera. Istud est solum uerum uerbum quod est in te. Sed fortassis quarendum uidebitur, quomodo dicebat Regi Regina haec quia non credidi his quae dicebantur mihi de te, cum utique non uenisset ad Christum, nisi credidisset. Sed uide si possumus hoc modo soluere quod proponitur. Non ihs, inquit, credidi qui loquebantur mihi. Non enim fidem meam in illos qui locuti sunt de te, sed in te direxi, id est non hominibus, sed tibi credidi deo. Et per illos quidem audiui, ad te autem ueni, & tibi credidi. Apud quem multo plura uiderunt oculi mei, quam annuntiabatur mihi. Reuera enim cum peruenerit nigra haec & formosa in Hierusalem caelestem, & ingressa fuerit uisionem pacis, multo plura & magnificentiora quam nunc ei sunt annuntiata, perspiciet. Nunc enim tanquam in speculo & aenigmate, tunc autem uidebit facie ad faciem, cum consequetur ea quae oculus non uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt. Et tunc uidebit quia nec medietas eorum est, quae audiuit in hac sua terra posita. Beatae ergo sunt mulieres Solomonis, animae sine dubio quae uerbi dei & pacis eius participes fiunt. Beati pueri eius qui assistunt in conspectu eius semper: Non illi qui aliquando assistunt, & aliquando non assistunt, sed qui semper, & sine intermissione assistunt uerbo dei, uere beati sunt. Talis erat & illa Maria quae sedebat secus pedes Iesu, & audiebat eum, cui & testimonium reddidit ipse dominus, dicens ad Martham: Maria optimam partem elegit, quae non auferetur ab ea. Luc. 10  
 Adhuc nigra haec & formosa dicit: Benedictus qui uoluit dare te super sedem Israel. Vere enim quia dilexit dominus Israel, & uoluit ut staret in aeternum, posuit te regem super eum. Quem pacificum sine dubio. Christus enim est pax nostra, qui fecit utraque unum, & medium parietem sepi soluit. Et post haec omnia, dedit, inquit, cxx. talenta auri regi Solomonis regina Saba. Numerus hic cxx. consecratus est uitae hominum eorum qui fuerunt in diebus Noe, quibus istud conceditur spatium uitae, quo inuitantur ad poenitentiam. Ipse autem numerus annorum & Moyse uitae fuit. Offert ergo Christo ecclesia in auri specie & pondere, non solum multitudinem sensuum suorum & intellectuum, sed legi dei consecratos indicat sensus suos per hunc qui Moyse annos uitae continet numerum. Offert etiam frauitates odoramentorum, quales & quanta nunquam uenerunt. Vel orationes in hoc, uel opera misericordiae intellige. Nunquam enim uel tam recte orauerat, ut nunc cum accessit ad Christum, uel tam pie operata fuerat, ut cum cognouit iustitiam suam non facere coram hominibus, sed coram patre qui uidet in abscondito, & reddet palam. Sed multum est alienis in locis simul uniuersa persequi haec, quae nec testimonij gratia uidentur assumpta. Sufficiat ista de tertio libro Regnorum, uideamus aliqua & ex his quae de lxxvij. psalmo protulimus, ubi ait: Aethiopia praeueniet manus eius deo. Si enim intuearis quomodo ex delicto Israel sit salus gentibus, & quod illorum lapsus introeundi uiam nationibus dedit, aduertes quomodo praeuenit & praecedit Aethiopiae manus, hoc est gentium populus, illos ad deum, quibus primis data sunt eloquia dei: & in hoc compleri, Aethiopia praeueniet manus eius deo; & sit nigra ista formosa, etiam si nolunt, etiam si inuidet & obtrahant  
 Ce filiae

filię Hierusalē. Sed & prophete testimoniu quod posuimus, ubi suscepit dominus etiam  
 eos qui ueniunt de locis quę sunt ultra flumina Æthiopum, & afferunt hostias deo, simi-  
 li sensu aduertendū puto. Videtur enim mihi, quod ultra flumina Æthiopię esse dicitur  
 ille, qui nimis & superabundantibus peccatis infuscatus est, & atro malitię fūco infectus  
 niger & tenebricosus est redditus: & tamē ne hos quidē repellit dominus, sed omnes qui  
 sacrificia contribulati spiritus, & humiliati cordis offerūt deo, cōfessionis scilicet ac pœ-  
 nitentię titulo ad eum conuersi, non repelluntur ab eo. Sic enim pacificus dicit dominus  
 noster: Ego ueniētē ad me non repello. Potest autem & de illis dictum uideri, quod ul-  
 tra flumina Æthiopū positi ueniēt etiam ipsi ad deum hostias deferentes, qui postea  
 intrauerit omnis plenitudo gentium, quę fluminibus Æthiopū comparatur, ueniēt e-  
 tiam ipsi, & tūc omnis Israel saluabitur: & pro eo ultra flumina Æthiopū dicantur, qua-  
 si qui ulteriores & posteriores sint his spatijs, in quibus currit inundatq; gētium salus. Et  
 ita forte compleri uidetur hoc quod dicit, quia in die illa non cōfunderis omnis Israel ex  
 omnibus adinventionibus tuis, quibus impie egisti in me. Superest ut illud testimoniu  
 quod de Hieremia assumpsimus, explicetur, ubi Abdimelech nihilominus Æthiops uir  
 eunuchus, cum audisset quia Hieremias in lacum missus est à principibus populi, educit  
 eum inde. Et puto incōueniens nō uideri si dicamus, quem principes Israel cōdemnaue-  
 runt, & in lacū mortis miserunt, iste alienigena & obscurę gentis homo & degeneris, id  
 est populus gentium, educit eum de lacu mortis, resurrectionē scilicet eius à mortuis cre-  
 dens, & fide sua hęc quę illi in mortē tradiderant, iste de infernis reuocat ac reducit. Sed  
 & eunuchus hic Æthiops esse dicit, credo quod castrauerit semetipsum propter regnū  
 dei, uel etiā quod semen malitię in semetipso nō habeat. Seruus quoq; est regis, quia ser-  
 uus sapiēs imperat stultis dominis. Interpretat autem Abdimelech, seruus regū. Et ideo  
 dominus relinquēs populū Israel p peccatis suis, ad Æthiopē uerba dirigit, & ad ipsum  
 mittit prophetā, & ipsi dicit: Ecce ego adduco uerba mea super ciuitatē istam in mala, &  
 non in bona: & saluabo te in die illa, & nō te dabo in manus hominū, sed saluans saluabo  
 te. Salutis autem causa hęc est ei, quia eduxit prophetā de lacu, id est quod fide sua qua  
 Christū resurrexisse credat à mortuis, eduxisse eum ex lacu uidetur. Habet ergo plurima  
 testimonia fusca hęc, uel nigra, & formosa, in quibus libere agat, & cum fiducia dicat ad  
 filias Hierusalem, quia fusca sum quidem, uel nigra sicut tabernacula Cedar, formosa autē  
 sicut pelles Solomonis. De pellibus Solominis scriptū aliquid proprie non memini. Pu-  
 to autem referri posse ad gloriā eius, de qua dicit Saluator: Quia nec Solomon in omni  
 gloria sua opertus est sicut unum horum. Nomen tamen ipsum pellium in tabernaculo te-  
 stimonij inuenimus frequēter referri, sicut cū dicit: Et facies pelles ex caprarū pilis ope-  
 rimentum super tabernaculū testimonij, xi pelles facies, longitudo pellis unius xxx cu-  
 bitorum, latitudo quatuor cubitorū. Eadē mensura erit xi pellibus, & coniunges quinque  
 pelles simul, & alias sex simul, & replicabis sextam pellem à fronte tabernaculi: & facies  
 quinquaginta ansulas per oram pellis unius, & quinquaginta ansulas per orā pellis alte-  
 rius, per quas coniungant una ad alteram: & facies circulos areos quinquagenos, & cō-  
 iunges ex ipsis pelles, & erit unum totum: & replicabis quod superest ex pellibus, medie  
 tatem pellis unius à fronte tabernaculi, & ex alia medietate quod superest, uelabis poste-  
 riora tabernaculi cubitū hinc, & cubitum inde, ex eo quod abundat in longitudine pel-  
 lium, & erit ad opertum tabernaculū ex lateribus hinc & inde. Puto ergo quod harū pel-  
 lium mentio fiat in Cantico canticorū, & istę dicantur esse Solomonis, qui accipitur in  
 pacificum Christum. Ipsi ergo est tabernaculū, & ea quę ad tabernaculum pertinent  
 & præcipue si illud tabernaculū cōsideremus, quod dicitur tabernaculū uerum, quod fi-  
 xit deus & non homo, & quod ait, non enim in manu facta sancta intrauit Iesus exēpla-  
 ria uerorum. Si ergo pulchritudinē suam sponsa pellibus comparat Solomonis, illarum  
 sine dubio pellium gloriā & pulchritudinē dicit, quę operiunt illud tabernaculū quod  
 fixit deus & non homo. Si uerō nigredinē suam quę exprobrari à filiabus Hierusalē ui-  
 debatur, pellibus contulit Solomonis, huius tabernaculi quod exemplar ueri tabernacu-  
 li uocat, accipiendę sunt pelles: quasi quod & ipsę nigre sint quidē, utpote caprarū pi-  
 lis textę, & tamen usum ornatūq; exhibeāt diuino tabernaculo. Quod autem uidet es-  
 se persona una quę loquit, & pluribus se uel tabernaculis Cedar in nigredine, uel Solo-  
 monis

monis pellibus comparauit, ita accipiendum est: quia una quidem persona uidetur ecclesie, innumeræ tamen sunt quæ per orbem terræ diffusæ sunt, atque immensæ congregatio- nis ac multitudinis populorū. Sicut & regnum cœlorum unum quidem dicitur, sed multa tamen in eo mansiones memorantur esse apud patrem. Potest autem & de unaquaque anima quæ post peccata plurima conuertitur ad pœnitentiam dici, quod nigra sit quidē pro peccatis, formosa propter pœnitentiam & fructus pœnitentiæ. Denique & de hac ipsa quæ nunc dicit: Nigra sum & formosa, quia non in finem in nigredine ista permāsit, post hæc dicunt de ea ipsa filia Hierusalem: Quæ est ista quæ ascendit dealbata incumbens super fraternū suum: Ne uideatis me, quoniam infuscata sum ego, quia despexit me sol. Infuscata siue denigrata. si cōpetenter nobis uidetur aptata expositio quam in superiorib. uel de Æthiopiis quæ à Moysē suscepta est in coniugiū, uel de regina Saba Æthiopum quæ sapientiam Solomonis uenit audire, texuimus: merito nūc hæc quæ fusca uel nigra est & formosa, satisfacere uidet̄ pro nigredine uel fuscatione sua, causasque reddere exprobrantibus, quasi quæ nō naturalis, nec ita à conditore creata sit, sed ex accidentib. hoc passa sit. Ex eo (inquit) quia sol despexit me. In quo ostendit non de nigredine corporis fieri sermonē, quod utique sol obscurare & denigrare solet, cum respicit magis quæ cū despicit. Ita denique & apud illam omnem gentem Æthiopū ferūt, cui naturalis quædam inest ex seminis carnalis successiōe nigredo, quod in illis locis sol radijs acrioribus ferueat, & adusta iam semel atque infuscata corpora genuini uitij successione permaneant. Contrarij uerò ordinis est animæ nigredo. Nā neque aspectu, sed despectu solis inuritur, neque nascendo, sed negligendo conquiri: & ideo sicut ignauia assumitur, ita & industria repellit & repulsatur. Denique, ut superius dixi, hæc ipsa quæ nunc nigra dicit̄ esse, in fine Cantici huius dealbata memoratur ascendere incumbens super fraternalium suum. Effecta est ergo nigra, quia descendit: si autem cœperit ascendere & incumbere super fraternalium suum, & adherere ei, nec omnino separari ab eo, erit dealbata & candida: abiecta que omni nigredine, ueri luminis luce circumfusa radiabit. Dicit ergo nunc ad filias Hierusalē pro nigredine sua satisfaciens: Non putetis o filia Hierusalem, quod naturalis est ista nigredo quam uidetis in uultu meo: sed scitote quoniam despectu solis est facta. Sol enim iustitiæ quia me non inuenit recte stantem, nec ipse in me rectos direxit lucis sue radios. Ego enim sum populus gentium, qui prius non aspexi ad solē iustitiæ, nec steti ante dominū: & ideo nec ille me aspexit, sed despexit, neque assistit mihi, sed præterijt. Hoc autem ira esse etiam tu qui Israel diceris, re ipsa expertus iam iamque cognosces & dices: Sicut enim me aliquando non credente tu assumptus es, & misericordiam consecutus, & te respexit sol iustitiæ, me autē utpote inobedientem & incredulū despexit, & spreuit: ita & nunc quia tu incredulus & inobediens factus es, ego spero respici à sole iustitiæ & misericordiam consequi. Quod autem mutua nobis sit solis ista despectio, & ego primo pro inobediētia mea despectus sum, tu uerò respectus: nunc autem etiam tibi non solum despectus solis, sed & cæcitas quædam licet ex parte contigerit, testem tibi producam magnificū, & cœlestis secreti cōsciū Paulum, qui ita dicit: Sicut enim uos (de gentibus sine dubio loquens) aliquando non credidistis deo, nunc autem misericordiam cōsecuti estis propter istorum incredulitatem: ita & isti non crediderūt in uestra misericordia, ut ipsi misericordiam cōsequantur. Et item in alijs dicit: Quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret. Hinc ergo est in me quæ exprobras ista nigredo, quia despexit me sol propter incredulitatem & inobediētiā meam. Cum uerò recte stetero ante eum, & non fuero obliquus in aliquo, neque declinauero ad dexteram, neque ad sinistrā, sed fecero rectas semitas pedibus meis cōtra solem iustitiæ incedēs in omnibus iustificationibus eius sine querela: tūc & ipse rectus me respiciet, & nulla erit obliquitas, nec erit causa ulla despectus, & tunc reddetur mihi lux mea & splendor meus: intantumque propelletur à me quam nunc exprobratis ista nigredo, ut etiam lux mūdi merear appellari. Sic ergo sol iste quidem uisibilis ea corpora quibus à summo libramine infederit, infuscat & urit: ea uerò quæ procul sunt & ab ista collibratione longius posita, conseruat in candore suo, nec omnino urit ea, sed illuminat. Sol uerò spiritalis, qui est sol iustitiæ, in cuius pennis sanitas esse dicitur: e cōtrario eos quidem quos recti cordis inuenerit, & ad libram sui splendoris cōsistentes, illuminat, & omni fulgore circumdat: eos autem qui obliquè incedunt cū eo, necessario etiam

Ioan. 14

Cant. 8

Rom. 11

ipse oblique non tam respicit quæ despiciat, hoc eis præstante incōstantia sua & instabilitate. Quomodo enim qui peruersi sunt, possunt suscipere quod rectum est: Velut si curuo ligno adhibeas rectissimam regulam, uidebitur quidem per regulam argui materiae prauitas, non tamē regula est quæ ligno causam peruersitatis imposuit. Et ideo festinandū est ad uias rectas, & standum in semitis uirtutum, ne forte sol iustitiæ rectus incedens, si nos obliquos stare inueniat & peruersos, despiciat nos & efficiamur denigrati. Inquantū em̄ incapaces fuerimus lucis eius, intantum tenebris & nigredini dabimus locum. Hic enim est ipse sol qui & lux uera, illuminans omnem hominem uenientem in hunc mūdum, & qui in hoc mundo erat, & mūdus per ipsum factus est. Nō enim per istud uisibile lumen mundus factus est, cum & ipsum portio sit mundi, sed per istud uerum lumen, à quo lumine si nos peruersi incesserimus, despici dicimur. Et ipsum enim nobis peruersis incedentibus, peruersum quoque incedit, sicut scriptū est in maledictionibus Leuitici: Et si incesseritis (inquit) mecum peruersi, & nolueritis obedire mihi, adijciā uobis plagas septem. Et post pauca: Et si (inquit) nō fueritis emendati, sed incesseritis mecum peruersi, incedā, & ego uobiscum peruersus. Siue ut in alijs exemplaribus legimus: Si incesseritis mecum obliqui, incedam & uobiscum obliquus. Et post aliquanta iterum dicit ad ultimum: Et quoniam ambulauerunt in conspectu meo obliqui, & ego ambulabo cum eis in furore obliquus. Hæc assumpsimus, ex quib. probaremus qualiter despiciere, hoc est oblique aspiciere sol dicatur: Et euidenter claruit quod hos despiciat, & cum his oblique incedat ac peruersis, qui oblique incedunt cum eo. Sed & hoc quod admonuit presens locus, indiscussum nō omittamus, quia sol duplicis uidetur esse uirtutis, unius qua illuminat, alterius qua adurit. Sed pro rebus aut materijs subiacentibus, aut illuminat aliquid luce, aut infuscat & obdurat aliquid ardore. Secundum hæc ergo fortassis & indurasse dicitur deus cor Pharaonis, quod scilicet talis fuerat materia cordis ipsius, quæ præsentiam solis iustitiæ nō ea parte qua illuminat, sed ea qua adurit & indurat, exceperit: propter hoc sine dubio quod & ipse affligebat Hebræorū uitam in operibus duris, & quod luto & latere conficiebat eos. Et erat utique cor eius secundū ea quæ cogitabat luteum & limosum. Et sicut materiā luti sol iste uisibilis stringit & indurat, ita sol iustitiæ his iisdem radijs quibus illuminat populum Israel, Pharaonis cor cui inerant luteæ cogitationes, pro ipsis motuū suorum qualitatibus indurabat. Hæc autē quod ita se habeant, & non cōmunem (ut hominibus uidetur) historiam famulus dei per spiritū sanctum scribat, ostenditur etiam inde, quod ubi refert ingemuisse filios Israel, nō dicit à luto, neque à latere, neque à paleis ingemuisse eos, sed ab operibus suis inquit. Et rursum: Et ascendit, inquit, clamor eorum ad deum. Non dixit à luto & latere, sed iterū ab operibus suis, propter quod & subiungit: Quia exaudiuit dñs gemitus ipsorum, cum utique non exaudiuit eorum gemitū, qui non ex operibus suis clamant ad dominū. Hæc quamuis per excessum dicta uideant, tamen locorum opportunitate commōiti nequaquam iudicauimus omittēda, maxime cū habeant aliquid similitudinis ad hoc quod dicit hæc quæ infuscata est, quia despexerit eam sol, quod utique ostendit ibi accidere, ubi peccatorū causa præcedit: & ibi infuscari uel aduri aliquem sole, ubi peccati materia subsistit. Vbi uerò non est peccatū, sol neque adurere dicitur, neque infuscare, sicut de iusto refertur in psalmis: Per diem sol non uret te, neque luna per noctē. Vides ergo quia sanctos in quibus peccatorū nulla causa est, sol nunquam adurit. Vt em̄ diximus, duplicis uirtutis est sol: iustos quidem illuminat, peccatores uerò non illuminat, sed adurit, quoniam & ipsi oderunt lucem, quia male agunt. Denique ob hoc deus noster ignis dicitur esse cōsumēs, & nihilominus lux in quo tenebræ non sunt, lux sine dubio iustis, & ignis efficitur peccatoribus, ut cōsumat in eis omne quod in anima eorum corruptibilitatis aut fragilitatis inuenerit. Quod autē in multis scripturæ locis, & sol & ignis non iste uisibilis, sed ille inuisibilis & spiritalis dicatur, ipse etiam si recenseas, abundanter inuenies. Filij matris meę dimicauerunt in me, posuerunt me custodem in uineis, uineam meam non custodiui. Adhuc ipsa quæ fusca quidem pro delictis prioribus, formosa uerò est pro fide & cōuersatione, etiam hæc dicit, asseuerans quod filij matris suæ dimicauerunt non cōtra eam, sed in ea: & post hoc bellum quod in ea gesserunt, constituerunt eam uinearum custodem, nō unius uineæ, sed multarū. Astruit autē hæc eadā, quod præter illas uineas quas à filijs matris suæ custodire posita est, habuerit aliam propriā uineā quam nō custodierit. Hæc est

propo-

propositi dramatis fabula. Sed nunc inquiramus quæ sit mater sponsæ huius quæ hæc al-  
 legat, qui sint etiam filij eius qui dimicauerunt in ea, & confecto bello tradiderunt ei ui-  
 neas quas custodiret, quasi quæ nõ potuisset seruare eas, nisi ab illis dimicatũ fuisset. Illã  
 uerò suscepta aliarum uinearũ custodia propriam uineam noluisse, uel nõ potuisse serua-  
 re. Ad Galatas Paulus scribens, ait: *Dicite mihi qui sub lege uultis esse, legem non audi-* Gal. 4  
*stis: Scriptũ est enim, quoniam Abraham duos habuit filios, unum ex ancilla, & unũ de*  
*libera. Sed is quidem qui de ancilla secundũ carnem natus est: qui uerò de libera, secundũ*  
*repromissionẽ quæ sunt allegorica. Hæc enim sunt duo testamenta, unum quidẽ in mõe*  
*te Sina in seruitutẽ generans, quæ est Agar. Sina enim mons est in Arabia, qui confertur*  
*huic quæ nunc est Hierusalẽ, & seruit cum filijs suis. Quæ autem sursum est Hierusalem,*  
*libera est, quæ est mater omnium nostrum. Hanc ergo Hierusalẽ cœlestem dicit esse Pau-*  
*lus, & suã & omniũ nostrũ credentiũ matrem. Deniq; addit in posteriorib; & dicit: Pro-*  
*pter quod fratres non sumus filij ancillæ, sed liberæ, qua libertate liberauit nos Christus.*  
*Euidenter ergo Paulus pronunciat, quod omnis qui per fidem à Christo cõsequit liber-*  
*tatem filius sit liberæ: & hanc dicit esse sursum Hierusalẽ, quæ libera est, quæ est mater o-*  
*mnium nostrũ. Huius ergo matris & ipsa hæc sponsa filia esse intelligitur, in his qui dimi-*  
*cauerunt in ea, & constituerunt eam custodem uinearũ. Vnde uidentur isti qui tantã po-*  
*testatẽ habuerint, ut & bellum gererent in ea, & ordinarent eam uinearũ custodẽ, non*  
*cuiuscunq; humilis, aut cõtemnendi loci fuisse. Possumus ergo & apostolos Christi acci-*  
*pere filios matris sponsæ, hoc est Hierusalem filios cœlestis, qui pugauerũt prius in ista*  
*quæ ex gentibus congregatur. Pugauerunt autem ut uincerẽt in ea illos quos prius ha-*  
*buit infidelitatis & inobedienciæ sensus, & omnem elationem extollentem se aduersus*  
*scientiã Christi, sicut Paulus dicit: Cogitationes destruentes, & omnem altitudinem ex-* 2 Cor. 10  
*tollentem se aduersus scientiã Christi. Pugauerunt ergo nõ aduersus eam, sed in ea, hoc*  
*est in sensibus & corde eius, ut destruerent & depellerent omnem infidelitatẽ, omne u-*  
*tium, omnesq; doctrinas quæ ei inter gentes positæ falsis sophistarũ assertionib; inoleue-*  
*rant. Fuit ergo apostolis Christi grande bellũ, donec ex ea mēdaciũ tures & muros per-*  
*uersæ doctrinæ subruerent, donec iniquitatis argumenta prosternerent, & operãtes hæc*  
*atq; succēdentes in corde eius dæmones debellarent. Vbi ergo effugauerunt ab ea oēs*  
*sensus infidelitatis antiquæ, non eam relinquunt ociosam, ne forte per ocium rursus anti-*  
*qua surrepant, & redeant quæ repulsa sunt: sed dant ei opus quod agat, & consignant ei*  
*custodiã uinearum. Vineas accipiamus singula quæcũq; uolumina legis ac prophetarũ.* Gen. 26  
*Erat enim unusquisq; eorũ sicut ager plenus quẽ benedixit dominus. Hæc ergo isti uiri*  
*fortes post uictoriã belli seruanda ei & custodienda consignant, non em̄ relinquunt eam*  
*(ut diximus) ociosam. Sed & euangelistarũ scripta, atq; ipsorũ apostolorũ literas possu-*  
*mus similiter uineas accipere, quas huic quæ ex gentibus congregat, pro qua etiã dimi-*  
*cauerunt, custodiendas colendasq; tradiderunt. Quod uerò ait, quia suam propriam ui-*  
*neam non custodierit, illam possumus eruditionẽ dicere, qua unusquisq; exercebat an-*  
*te fidem: quam sine dubio credens Christo, relinquit ac deserit, & ea quæ sibi lucra uide-*  
*bantur, ducit propter Christũ detrimenta. Sicut & Paulus gloriatur legis obseruãtiã, &* Phil. 3  
*omnem Iudaicã institutionis gloriã fuisse sibi ut stercora, tantum ut in Christo inueni-*  
*retur non habens suam iustitiã quæ ex lege est, sed iustitiã quæ ex deo est. Sicut ergo Pau-*  
*lus accepta Christi fide, non custodiuit uineã suam, Iudaicã scilicet traditionis obsequiã:*  
*& idcirco fortasse non custodiuit, quia cum plantata esset à deo uitis uera, cõuersa est in*  
*amaritudinẽ uitis alienæ, & erat iam uitis Sodomorum uinea eorum, & palmes eorũ ex*  
*Gomorra, & botrus amaritudinis in eis, & furor draconum uinum eorum, & furor aspi-*  
*dum insanabilis. Ita & apud gentes erãt plurimæ huiusmodi doctrinæ, quas post illa bel-*  
*la quibus pro fide & agnitione Christi à doctoribus dimicatũ est, superatas dicit: puto q̄*  
*omnino criminis loco ducatur, si custodierit aliquis huiusmodi uineas, & agrũ colat ul-*  
*tra uenenatis & noxijs confutum disciplinis. Nec mireris si his culpã aliquando fuisse ui-*  
*deatur obnoxia hæc quæ ex nationum dispersione colligitur, & iam Christo sponsa præ-*  
*paratur. Recordare quomodo prima mulier seducta est, & in præuaricatione facta: quæ*  
*non aliter salua fieri dicit, nisi per filiorum generationẽ, illorum duntaxat qui permanẽt*  
*in fide & charitate cum sanctitate. Hoc ergo quod de Adam & Eua scribit, sic asseuerat*

Eph. 5 Apostolus. Myſterium magnū eſt in Chriſto & in eccleſia: qui eam ita dilexit, ut ſemet-  
 Rom. 5 ipſum traderet pro ea, cum eſſet adhuc impia hæc ipſa, ſicut ipſe dixit: Cum enim adhuc  
 ſecundū tempus impij eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Et iterum: Quia cum ad  
 huc eſſemus infideles, Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Nō ergo mirum eſt, ſi hæc quæ ſe  
 ducta, & in præuariatione facta, & quæ impia ſecundū tempus fuit & peccatrix, talem  
 dicatur uineam coluiſſe eo tempore, cum adhuc impia erat, quā relinquere debuerit, &  
 nequaquā omnino ſeruare. Quod ſi etiā tertium explanationis locū placet exequi, refera-  
 mus hæc ad unamquāq; animā, quæ conuerſa ad deum, & ad fidem ueniēs, patitur ſine  
 dubio cogitationū pugnas, & obluſtationes dæmonū reuocare eam nitentiū ad prioris  
 uitæ illecebras, uel infidelitatis errorē. Sed ne hoc fiat, neue ruruſum dæmonibus in eā tā-  
 tum liceat, proſpexit diuina prouidētia ut paruulis quibuſq; & hiſ qui pro ſemetipſis ad  
 uerſus aſtutias diaboli & dæmonū pugnas dimicare non poſſunt, utpote infantes adhuc  
 & lactentes in Chriſto, daret angelos propugnatores & deſenſores: qui uelut tutores &  
 procuratores cōſtituti ſunt à deo eorum, qui in infirma ætate poſiti pro ſemetipſis (ut di-  
 ximus) pugnare non poſſunt. Et ut hoc cum maiori fiducia agant, conceditur eis ſemper  
 uidere faciē patris qui in cœlis eſt: & iſtos puto eſſe paruulos quos uenire ad ſe Chriſtus  
 iuſſit, & nō ſiuit prohiberi, & quos ſemper dixit uidere faciē patris. Nec tibi contrariū  
 uideatur, ſi eos hæc anima quæ ad deū tendit, matris ſuæ filios appellat. Si enim animarū  
 mater Hieruſalē cœleſtis eſt, & angeli nihilominus cœleſtes nominantur, nihil diſſonās  
 uidebit, ſi hi qui ſimiliter ut ipſa cœleſtes ſunt, ab ea filij matris appellen. Super omnia  
 autem congruū uidebitur & conueniens, ut quibus unus eſt pater deus, una ſit & Hieru-  
 ſalem mater. Quod uerò ait: Vineam meam non cuſtodiui, inſtituta illa ac mores & pro-  
 poſitum in quo exercebat ſecundum ueterem hominē uiuens, indicare uidetur laudabi-  
 liter à ſe nō eſſe ſeruata. Ex quo autē adiutorio angelorū dimicauit, & uicit eam, penitus à  
 ſe effugauit ueterem hominē cum actibus ſuis, cōſtitutaq; eſt ab eis uinearum cuſtos, ſen-  
 ſuum ſcilicet & dogmatū diuinorum, ex quibus poſſit uinum bibere, quod lactificet cor  
 eius. Annuncia mihi quæ dilexit anima mea, ubi paſcis, ubi cubas in meridie, ne forte effi-  
 ciat ſicut adoperta ſuper greges ſodalium tuorū. Adhuc ſpōſa loquitur etiā hæc, ſed ad  
 ſponſum, & non iam ad filias Hieruſalē. Igitur ab initio ubi ait: Oſculetur me, uſq; ad hūc  
 locum: Super greges ſodalium, cuncta quæ dicta ſunt, uerba ſunt ſponſæ. Sed primo ſer-  
 mo eius ad deum factus eſt, ſecundo ad ſponſum, tertio ad adoleſcentulas: inter quas &  
 ſponſum media quædā, & ut ſe dramatis huius ſpecies habet, quaſi meſochorus effecta,  
 nunc ad ipſum, nunc etiā ad filias Hieruſalē reſpondens, dirigit uerba. Hos ergo nunc  
 ultimos ſermones ſuos ad ſponſum facit, requirēs ab eo ubi paſcat in meridie, & ubi col-  
 locet gregem, uerens ne dum requirit eum, incurrat in ea loca ubi ſodales ſponſi locatos  
 per meridiē greges ſeruant. Oſtenditur autē per hæc quia ſponſus hic etiā paſtor ſit. In ſu-  
 perioribus autē didiceramus eū eſſe & regem, pro eo ſine dubio quod homines regat: pa-  
 ſtorem uerò pro eo quod oues paſcat: ſpōſum autem pro eo quod habeat ſponſam, quæ  
 cum eo regnet, ſecundum quod ſcriptum eſt, Aſtitit regina à dextris tuis in uestitu deau-  
 rato. Hæc interim continet dramatis ipſius qui eſt quaſi hiſtoricus ordo. Nunc autem re-  
 quiramus intelligentiā myſticam: & ſi oportet præuenire paululū ea quæ in poſteriori-  
 bus præferenda ſunt, quo quis effectus ſit horū ſodalium pateat, memoremus illud quod  
 ſcriptū eſt: quia reginæ ſunt ſexaginta, ſed ex hiſ omnibus una ſit columba, & una perfe-  
 cta, ac particeps regni. Cæterę uerò iam inferiores ſunt, quia octoginta appellantur con-  
 cubinæ. Adoleſcentulæ uerò quarū numerus nullus eſt, poſt ordinem concubinarū po-  
 nuntur. Iſtæ autē omnes animarū earum differentiæ ſunt, quæ in Chriſto credentes, diuer-  
 ſis ei affectibus ſociant: ut uerbi gratia dicamus omnem eccleſiam per illam figurā cor-  
 pus eſſe Chriſti, qua Apoſtolus dicit: in quo corpore diuerſa eſſe membra pronūciat, &  
 alios eſſe oculos, & alios manus, alios etiā pedes, & ſingulos pro operū ſtudiorumq; ſuo-  
 rum meritū in membra corporis huius aptari. Secundū hanc ergo ſpeciem & hæc intelli-  
 genda ſunt: & alias quidē animas putandū eſt in hoc ſponſali dramate quæ magnificen-  
 tiori affectu ſponſo atq; illuſtriori ſociant, apud eū reginarū loco & affectu haberi alias  
 quarum inferior ſine dubio in proſectibus & uirtutibus honor eſt, cōcubinarū loco du-  
 ci: & alias adoleſcentularū quæ uidentur extra aulam quidē poſitæ, non tamē extra ur-  
 bem re-

bē regiam. Posteriores uerò & post omnes quæ supra memoratæ sunt, esse eas quæ oues appellantur. Si uerò perspiciamus attentius, adhuc fortassis etiam harū omniū inueniemus inferiores alias, & ultimas omniū: illas scilicet quæ in sodalium eius gregibus numerantur. Et ipsi enim habere greges quosdam dicunt, in quos nō uult spōsa incurrere, & ob hoc petit à sponso ut annūciat sibi ubi pascat, ubi meridiem faciat. Ne forte (inquit) efficiar sicut adoperta super greges sodaliū tuorū. Queritur ergo sodales isti qui habere quosdam greges dicunt, utrū spōso operam dantes, & sub ipso uelut pastorū principe agentes hoc faciant, quādo quidem sodales eius nominantur: an propriū aliquid, & sequestratū habentes, & quod non sit cum animo sponsi: quando quidē refugit spōsa, & ueretur ne forte incurrat sodalium greges dum spōsum suū requirit. Sed & quod dixit: Ne forte efficiar nō adoperta, sed sicut adoperta, require ne forte innuat per hoc esse aliquas sodalium quasi spōsas habentes etiam ipsas habitū spōsalem, & esse adopertas, & sicut Apostolus dicit: Velamen & potestatem habentes super caput. Et ut manifestior sermonis huius explanatio fiat, iterū quasi dramatis ordine quod dicitur exequamur. Exposcit ab ipso sponso suo spōsa, ut ei locum secreti sui indicet & quietis: quando quidē amoris impatiēs etiā per meridiē cupit audire spōsum, eo præcipue tēpore, quo clarior lux, & splendor diei perfectus & purus est, ut assistat ei oues pascēti uel refrigerātī: & studiose uult uiam discere, qua ire ad eum debeat, ne forte si nō fuerit edocta itineris huius anfractus, incurrat greges sodaliū, & uideatur similis esse alicui illarū quæ adopertæ ueniunt ad sodales eius, nec pudoris curā gerūt, aut uerent passim discurrere, & multis apparere. Ego autē quæ à nullo, inquit, alio uideri uolo nisi à te solo, scire desidero quo ad te itinere ueniā, ut secretū sit, ut nemo sit medius, ut nullus arbiter peregrinus & alienus occurrat. Et forte ob hoc requirit ista loca in quibus pascit spōsus oues suas, & ostēdit ei uerecūdiam suam, pro qua non uult incurrere greges sodaliū: ut ille segreget oues suas à sodalibus, & seorsum pascat: ut non solum sponsa nō uideatur ab alijs, sed & arcanis & ineffabilib. mysterijs sponsi secretijs perstruatur. Nūc ergo uideamus per singula: & primo quidē uide si possumus dicere, quod dominus cuius portio fuit iacob, & funiculus hereditatis eius israel, ipse intelligēdus sit spōsus. Sodales uerò eius angeli illi ad quorū numerū cū diuideret excelsus gentes, & dīpergeret filios Adā, statuit terminos gentium secundū numerū (ut ait) angelorū dei: & isti sunt fortassis greges sodalium sponsi, gētes scilicet cūctæ, quæ uelut pecora sub angelis pastoribus cōstitutæ sunt: Grex uerò sponsi ille dicatur, de quibus ipsa in euangelio ueritas dixit: Oues mea uocem meā audiūt. Vide enim & obseruāter intende, quoniam dixit oues mea, quasi sint & aliæ oues quæ nō sint eius, sicut & ipse in alijs dixit: Vos nō estis de ouib. meis. Quæ singula huic occulto mysterio cōuenienter uidebunt aptari. Quæ si ita se habēt, cōpetenter sponsa uniuscuiusq; sodaliū gregē spōsam eius intelligi uoluit, quam adopertā nominauit. Sed quoniā certa erat quod super omnes illas ipsa esset, nō uult similis uideri alicui illarū, ut pote quæ sciret tantū se debere præcellere illas sodaliū sponsas quas spōsa nominat uelut adopertas, quantū eminētia sponsus suus habebat ad sodales. Sed & p hoc adhuc uidebitur percōrandi causas habuisse, quando quidē boni pastoris scit esse studiū, ut optima ouibus pascua requirat, & ut uiridantia atq; opaca quæq; ad requiē nemora meridia ni æstus inueniat. Quod quidē sodales sponsi facere nesciūt, nec in eligēdis pascuis, aut sciētia tātū, aut sollicitudinis gerūt: & ob hoc dicit: Annūcia mihi ubi pascis, ubi cubile habes in meridie: cupiens tēpus scilicet illud quo copiosius mūdo lumen infundit, quo magis merus est dies & purior & florulētior est lux. Tūc (inquit) annūcia mihi o tu quæ dilexit anima mea, ubi pascis, ubi cubile habes in meridie, ne forte efficiar ut adoperta super greges sodaliū tuorū. Nouo nūc nomine spōsa appellauit spōsū. Sciēs em̄ ipsum esse filiū charitatis, imō ipsum esse charitatē quæ ex deo est, quasi uocabulū ei istud posuit: Quæ dilexit anima mea. Et tamē nō dixit, quem dilexi, sed quæ dilexit anima mea: sciens nō qualicūq; dilectione, sed ex tota anima, & ex totis uiribus, & ex toto corde habendā esse dilectionē spōsi. Vbi pascis (inquit) & ubi cubile habes. Puto autē quod & ppheta de hoc loco quæ nūc spōsa discere ab ipso sponso desiderat, & audire, etiam ipse sub eodē positus pastore dicat: Dominus regit me, siue ut in alijs legimus: Dominus pascit me, & nihil mihi deerit. Et quoniā sciebat alios pastores uel ignauia, uel imperitia fa-

ciente greges in locis aridioribus collocare, de hoc optimo pastore dñs dixit: In loco uiridi ibi me collocauit. Super aquam refectiōnis educauit me. ostēdens pastorē hūc non solum abundantes aquas ouibus suis, sed & salubres & puras, & quæ per omnia reficiāt prouidere. Sed quoniam ab hoc statu quo ut ouis sub pastore deguerat, conuersus ad rationabilia in excelsiora profecit, idq̄ adeptus est per conuersionē, subiungit & dicit: Animam meam cōuertit. Eduxit me super semitas iustitiæ propter nomen suū. Hinc uerò quando quidē in hoc profecerat ut iustitiæ incederet uias, iustitiā autē habet sine dubio impugnātem se iniustitiā, & necesse est eum qui iustitiæ iter incedit habere pugnas aduersantiū, fide cōuersus & spe dicit de eis. Nam & si ambulē in medio umbræ mortis, nō timebo mala quoniā tu mecū es. Post hæc uerò quasi gratiā referens ei qui se pastoralibus imbuerat disciplinis: Virga inquit tua & baculus tuus quibus institutus uideor ad pastoris officium, ipsa me cōsolata sunt. Hinc uerò ubi uidit sese à pastoralibus pascuis ad rationabiles cibos & mystica secreta translātū, addit & subdit: Parasti in cōspectu meo mensam aduersus eos qui tribulāt me. Impinguasti in oleo caput meū, & calix meus inebriās q̄ præclarus est. Et misericordiā tua subsequet me omnibus diebus uitæ meæ, ut inhabitem in domo dñi in longitudine dierū. Illa ergo prima, id est pastoralis institutio, initium eorum fuit, ut in loco uiridi collocatus, super aquā refectiōnis educaret. Hæc uerò quæ sequunt de profectibus ad perfectionē requirunt. Et quoniā de pascuis & uiriditate p̄posuimus, cōueniens etiam uidetur de euāgelij cōfirmare quæ diximus. Inueni etiā ibi pastorē hunc bonum de pascuis ouium differentē, ubi ad hoc quod pastorē se profiteretur, etiā ostium se esse cōmemorat, & dicit: Ego sum ostium: per me si quis introierit, saluabitur, & ingredietur & egrediet, & pascua inueniet. Hunc etiam nūc sponsa percontat, ut ab eo audiat, & discat in quibus pascuis oues agat, uel in quibus amœnitatibus meridianos procuret æstus: meridiem appellans illa scilicet cordis secreta, quibus clariorē scientiæ lucem à uerbo dei anima cōsequitur. Hoc enim tempus est quo sol excelsiorē circuitus sui uerticem tenet. Si quādo ergo sol iustitię Christus ecclesię suę excelsa & ardua uirtutum suarū secreta manifestat, amœna eam pascua cubiliaq̄ meridiana uidebitur edocere. Nam quum adhuc initia habet discendi, & prima (ut ita dicam) ab eo scientiæ suscipit rudimenta, tunc dicit propheta: Et adiuuabit eam mane diluculo. Nūc ergo quia perfectiora iam quarit, & excelsiora desiderat, meridianum scientiæ lumē exposcit. Hinc puto & Abrahæ post multas eruditiones quibus apparens ei deus imbuit eum de singulis & docuit, post refertur quia uisus sit ei deus ad quercum Mambre sedētī ad ostium tabernaculi sui meridie. Et respiciēs (inquit) oculis suis, uidit, & ecce tres uiri stabant super eum. Quod si credimus hæc per spiritum sanctum scripta, nō puto frustra placuisse diuino spiritui, ut etiam tempus & hora uisionis scripturæ paginis mandaret, nisi & horæ istius, & temporis ratio aliquid conferret ad scientiam filij Abrahæ, quibus utiq̄ sicut opera Abrahæ faciēda, ita & uisitatioes istæ sperandæ sunt. Qui enim potest dicere: Nox præcessit, dies autē appropinquauit, sicut in die honeste ambulemus, non in comestationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicijs, non in cōtentione & æmulatione: & quum hæc omnia trāsierit, supergressus uidebitur tempus hoc quod nox præcessit, & dies appropinquauit, & festinare non ad initium diei, sed ad meridiē, ut & ipse ad gratiam perueniat Abrahæ. Si enim lux quæ in ipso est mentis, & puritas cordis clara fuerit & splendida, iste meridianum tempus in semetipso habere uidebitur: & per hanc puritatem cordis, quasi in meridie positus deum uidebit, sedēs ad quercum Mambre, quod ad uisionem interpretat. Apud uisionē ergo sedet in meridie, qui uacat ad uisendum deum. Inde deniq̄ non dicitur intra tabernaculū, sed foris ad ostium sedere tabernaculi. Foris etenim est extra corpus posita mēs eius qui lōge est à corporalibus cogitationibus, longe à carnalibus desiderijs, & ideo ab his omnibus foris positū uisitat deus. Eiusdē quoq̄ mysterij est, quod & Ioseph fratres suos cū suscepisset in Aegypto, in meridie eos pascit, & in meridie adorāt eū cū muneribus. Propterea deniq̄ puto & de his quæ Iudæi in saluatore cōmiserunt, nullū euāgelistarū uoluisse scribere, quia meridie hæc gesta sunt, cū utiq̄ sexta hora nō aliud q̄ meridianū tempus ostendat, nullus tamē meridiē nominauit. Sed Matthæus ita dixit: Ab hora autē sexta tenebræ factæ sunt super omnem terram usq̄ in horam nonā. Lucas uerò: Erat iam quasi hora sexta, & tenebræ factæ sunt

sunt super omnē terram usq; in horam nonā deficiēte sole. Sed & Marcus: Cum autē es- Mar. 15  
 set facta hora sexta tenebræ factæ sunt super omnē terram usq; in horā nonā. Vnde ap-  
 paret, quia in uisitacione quidem Abrahamæ, & in conuiuio patriarcharū apud Ioseph nō  
 indigebat ut tēpus istud sub nomine sexti numeri significaretur, sed ut meridiēs dicere-  
 tur. Volebat enim sponsa, quæ iam tūc in illis adumbrabat, discere ubi pasceret spōsus,  
 & ubi haberet cubile, & ideo meridiem nominat. Euangelistę uerò in his quę narrabāt,  
 non meridianū tempus, sed horæ sextæ numerū requirebant, ad enarrandum scilicet sa-  
 crificium hostiæ eius, quę oblata est in die paschæ pro redemptione hominis, qui in die  
 sexta formatus est à deo, posteaquā terra procluxit animā uiuentem secundū genus, qua  
 drupedia & repentiā, & bestias terræ. Ob hoc igitur in presenti loco illuminari spōsa de-  
 siderat pleno scientiæ lumine, ne per imperitiā errans, in aliquo similis efficiatur illis  
 doctorum scholis, quæ nō per ipsam dei sapientiam, sed per philosophorū & principū  
 huius mūdi exercent. Hoc enim & apostolus dicere uidet in eo ubi ait: Quia loquimur 1 Cor. 2  
 dei sapiētiam in mysterio absconditam, quam nemo principum huius mūdi cognouit.  
 Et iterum hæc eadem significat, cum dicit: Non enim spiritum huius mundi accepimus,  
 sed spiritū qui ex deo est, ut sciamus quæ à deo donata sunt nobis. Ob hoc ergo requirit  
 spōsa Christi meridiana cubilia, & plenitudinē sciētiae poscit à deo, ne uideat esse sicut  
 una ex philosophorum scholis, quæ adoperta nominatur, pro eo quod plenitudo ueri-  
 tatis apud eos tecta est & adoperta. Spōsa autē Christi dicit: Nos autē reuelata facie glo-  
 riā dei speculamur. Nisi cognoueris te ò bona, siue pulchra inter mulieres, egredere tu  
 in uestigijs gregum, & pascere hœdos tuos in tabernaculis pastorū. Vnius Chilonis scilicet  
 cet ex septē quos apud Græcos singulares fuisse in sapiētia fama cōcelebrat, hæc inter cę-  
 tera mirabilis fert esse sententiā, qua ait: Scito te ipsum, uel cognosce te ipsum. Quod tū  
 Solomon, quem præcessisse omnes hos tēpore & sapientia ac rerū scientiā in præfatio-  
 ne nostra docuimus, ad animā quasi mulierem sub cōminatione quadam loquēs dicit:  
 Nisi cognoueris temetipsam ò pulchra inter mulieres, & agnoueris pulchritudinis tuæ  
 causas inde descēdere, qđ ad imaginē dei facta es, per quod inest tibi plurimū naturalis  
 decoris, & cognoueris qđ pulchra eras ex initio: quamuis & nunc iam præcellas cęteras  
 mulieres, & pulchra inter eas sola dicaris, tū nisi cognoueris teipsam quæ sis, nō em̄ ex  
 cōparatiōe inferiorū uolo bonā uideri pulchritudinē tuam, sed ut tibi ipsi & decori tuo  
 collata atq; ex æquata respondeas. Quod nisi feceris, iubeo te exire, & in ultimis gregū  
 uestigijs collocari, & iam non oues, neq; agnos, sed hœdos pascere, illos scilicet qui pro  
 prauitate & lasciuia à sinistris statuti sunt regis in iudicio præsidentis. Et cum tibi intro-  
 ductæ in cubiculum regium ostēderem quæ summa sunt bona, si nō cognoueris temet-  
 ipsam, ostendam tibi etiam quæ sunt ultima mala, ut ex utroq; proficias, tam malorū me-  
 tu qđ bonorū desiderio. Si enim nescieris temetipsam, & in ignoratiā tui uixeris, nec sciē-  
 tiæ studium gesseris, sine dubio nec tabernaculū proprium habebis, sed & per pastorū  
 tabernacula discurre, & nunc in illius tabernaculis pastoris pascere hœdos inquietū ani-  
 mal ac uagum & peccatis deputatū. Hæc autem patieris, donec rebus ipsis & experimē-  
 tis intelligas, quantū malū sit animam nescire seipsam, neq; pulchritudinē suam, per quā  
 præcellat cęteras, nō uirgines sed mulieres, illas scilicet quę corruptionē passæ sunt, nec  
 in uirginitatis integritate permāserūt. Hæc sunt quæ spōsus post illa omnia quæ locuta  
 fuerat spōsa, austerā quadā cōminatione spōsæ animos ad agnitiōis suæ curā suscitās,  
 per ordinē propositi dramatis dicit. Sed nunc cōsequenter, ut cætera, ad Christū hæc &  
 ad ecclesiā referamus, qui ad spōsam suam, ad animas scilicet credentiū loquēs, summā  
 salutis & beatitudinis in suimet agnitiōe cōstituit. Quomodo ergo anima cognoscat  
 semetipsam, nec facile puto, nec breuiter explicari posse: tamē p uiribus pauca ex mul-  
 tis aperire tētabimus. Videat ergo mihi duplici modo agnitiōe sui animā capere debe-  
 re. Quid quidē sit ipsa, & qualiter moueat, id est qđ in substantiā, & quid in affectib; habē-  
 at: ut puta ut intelligat si boni affectus sit, aut nō boni, aut recti propositi, aut nō recti: &  
 quidē si recti sit, si erga omnes uirtutes eūdē tenorē habeat, tam in intelligēdo qđ in agē-  
 do, an erga necessaria tātū, & quæ in prōptu sunt. Et utrū in eo sit ut recipiat profectus,  
 ut augeat in intellectu rerū augmēto qđ uirtutū, an in isto stet & resideat, in quod potuit  
 peruenire: & utrū erga semetipsam tantūmodo uacet excolendā, an alijs pdesse, & cō-  
ferre

ferre aliquid utilitatis studeat, uel in uerbo doctrinae, uel in exēplis gestorū. Si uerò cognoscat semetipsam non esse boni affectus, neq; recti ppositi, in hoc ipso, ut intelligat utrum ei satis desit, & procul à uia uirtutū sit, an in ipso iam posita sit itinere, & incedere iam conetur, cupiens quae in ante sunt apprehēdere, & quae retro sunt obliuisci, sed nō dum appropinquauerit: aut proxima quidē sit, nondū tamē ad perfectionē uenerit. Sed & in eo opus uidetur esse animae cognoscentis semetipsam, scire si haec ipsa quae operat mala, ex affectu & studio operet, an fragilitate quadā, & (ut ille ait) quod quasi nō uult agēs, & quae odit faciens: & rursus ea quae bona sunt, affectibus & recto proposito gere re uideatur. Verbi gratia, si iracundiā apud aliquos quidem cohibet, apud aliquos autē effert, an semper eam cohibet, & apud nullum omnino profert. Similiter & tristitiam, si in aliquibus quidē negotijs reijcit, in aliquibus autē recipit, an in omnibus omnino nō recipit. Ita & timorē, aliaq; similiter quae uirtutibus uidētur esse cōtraria. Adhuc & istud opus est animae cognoscentis se, si gloria multū cupida sit, aut parum, aut omnino nihil. Quod inde colligit, si laudib. multū, aut mediocriter delectetur, aut omnino nihil: & si in opprobrijs satis, aut parum, aut omnino nihil cōtristetur. Sed & in dando, & accipiēdo cognoscentis animae semetipsam sunt quaedam indicia, si quod tribuit, & prebuit ita cōmunicabili affectu, & quasi cui aequitatē haberi inter homines placeat: an (ut ille ait) ex tristitia, aut necessitate, uel certe gratiam siue ab accipiētib. siue ab audiētib. quærēs. Sed & in accipiēdo anima quae cognoscit semetipsam obseruabit, utrū indifferēter habeat ea quae accipit, an uelut super aliquo bono gaudeat. Sed & in intellectu pēlabit semetipsam huiusmodi anima, ut cognoscat an facile moueat cuiuscunq; uerisimilis iudicio, & surrepat ei arte uel suauitate, uel calliditate sermonū, an raro hoc, an nūquā omnino patiat. Sed sufficiant haec in hoc agnitionis genere à nobis dicta. Possibile est em̄ uolenti horum similitudinē, & alia innumera colligere, quibus cognoscere semetipsam anima probetur, & pulchritudinem suam quā ad imaginē dei in conditione suscepit, si reparare ac restituere potuerit, cōtēplari. Hoc igitur est quod p̄seens sermo sub specie mulieris animā docet, ut cognoscat semetipsā, & ait: Nisi cognoueris temetipsam, hoc est nisi per singula quae supra memorauimus duxeris sensus tuos, & discretionē singulorum tenueris, quae agenda sint, quae cauenda, quid desit tibi, & quid abundet quid em̄ dandum sit, quid te seruandū: sed si uolueris indifferēter agere inter ceteras animas cōmunis uitae hominū, quas hic mulieres appellat, inter quas tu pulchra es, utpote quae iā oscula uerbi dei susceperis, & cubiculi eius arcana perspexeris: si in quā nō te cognoueris, sed indifferenter ut cōmune uulgus agere uolueris, exi in uestigijs gregū, id est, esto in reliquo grege: si nihil egregiū post haec omnia quae in te collata sunt agis, neq; temetipsam cognoscens à cōuersatione gregali sequestraueris. Et eris nō solum in grege, sed in uestigijs gregū. Ultimus em̄ fiet & nouissimus, qui primatus suos nō intellexerit. Et ob hoc ubi iam sciētiam neglexerit, necesse est ut circumferat omni uento doctrinae ad deceptionem errorū, ita ut modo quidem apud illum pastorem, id est doctorē uerbi tabernaculum ponat, nunc uerò apud alium: & sic ubiq; circumferatur, pascens non oues quod est animal simplex, sed hōdos, lasciuos scilicet & inquietos sensus, atq; ad peccatū deputatos diuersis doctoribus excolens ad hoc ipsum quaelitis. & haec erit poena culpae illius animae quae seipsam non studuerit agnoscere, & illum solū sequi pastorem qui animam suam posuit p ouibus suis. Haec est una species qua intelligere semetipsam anima in affectibus & actibus suis debeat. Illa uerò alia pars, p̄fundior est & difficilior, qua iubetur anima quae tamē iā in mulieribus pulchra est, agnoscere semetipsam. Quod si obtinere potuerit, speret sibi bona omnia: si minus, sciat exeundū sibi post uestigia gregū, & pascēdū hōdos in tabernaculis pastorū alienorū à se. Videamus ergo & incipiamus pro uiribus etiam huius partis agnitionē discutere. Dicit per prophetā sermo diuinus: Illuminate uobis lumen sciētiae. Sed & in donis spiritalibus, unum quidem donū maximū est, quod per spiritum sanctum ministratur, sermo scientiae: cuius sciētiae opus illud principale est, quod in euangelio secundū Matthaeum quidem ita dicit: Nemo nouit filium nisi pater, neq; patrem quis nouit nisi filius, & cui uoluerit filius reuelare. In Luca aut ita ait: Nemo scit quid sit filius nisi pater: & nemo scit qd sit pater, nisi filius, & cui uoluerit filius reuelare. Secundū Ioannē uerò ita scriptū est: Sicut agnoscit me pater, & ego agnosco

seo patrem. In quadragesimo uerò quinto Psalmo dicit: Vacate, & cognoscite, quoniã  
 ego sum deus. Igitur principale munus scientiã est cognoscere trinitatem. Secũdo uerò  
 in loco cognoscere creaturam eius, secũdũ eum qui dicebat: Ipse enim mihi dedit horũ  
 quę sunt scientiam ueram, substantiã mundi, & uirtutem elemẽtorum, initium & finem  
 & medietatem temporũ. & reliqua. Inter hæc ergo animæ erit quãdam etiã sui agnitio,  
 per quã scire debet quæ sit eius substantia, utrum corporea, uel incorporea, & utrũ sim-  
 plex uel ex duobus, aut tribus, an uerò ex pluribus composita. Sed & iuxta quorũdam  
 quæstiones utrũ facta an omnino à nullo facta: & si facta sit, quomodo sit facta: utrum  
 ut putant aliqui, in semine corporali etiã ipsius substantia cõtinetur, & origo eius pa-  
 riter cũ origine corporis traducitur: an perfecta extrinsecus ueniẽs, parato iam & forma-  
 to inter uiscera muliebria corpore induit. Et si ita sit, utrũ nuper creata ueniat, & tũc pri-  
 mum facta cũ corpus uidetur esse formatum, ut causa facturæ eius animãdi corporis ne-  
 cessitas extitisse credatur: an prius & olim facta, ob aliquam eausam ad corpus sumẽdũ  
 uenire existimetur: & si ex causa aliqua in hoc deduci creditur, quæ illa sit causa ut agno-  
 sci possit, sciẽtię opus est. Sed & illud requiritur, utrũ semel tantum corpore induat, &  
 id postmodũ depositũ ultra non querat, an cum semel susceptũ deposuerit, iterum assu-  
 mat: & si secundo sumptũ semper habeat, an aliquãdo iterum abijciat. Et siquidẽ secun-  
 dum auctoritã scripturarũ consummatio imminet mundi, & corruptibilis status hic 1 Cor. 15  
 in incorruptibilem mutabitur, ambiguum non uideri, quod in præsentis uitæ statu secũ-  
 do aut tertio in corpus uenire possit. Nã si recipitur hoc, necessario sequit̃ ut huiusmo-  
 di successionebus cõsequentibus finem nesciat mũdus. Et adhuc agnitionem sui anima  
 requirat, si est aliquis ordo, aut sunt aliqui spiritus eiusdẽ substantiæ cum ipsa, alij uerò nõ  
 eiusdem sed diuersi ab ea, id est si sunt & alij spiritus rationabiles ut ipsa est, & alij caren-  
 tes ratione: & si eadem est ipsius quæ & angelorum substantia, quoniã rationabile à ra-  
 tionabili nequaquã differre creditur. Aut si non est quidem talis per substantiã, sed erit  
 talis per gratiam, si meruerit: an nõ possit omnino similis effici angelis, nisi hoc naturæ  
 suæ qualitas, aut similitudo receperit. Reddi em̃ posse uidebit̃ quod amissum est, nõ ta-  
 men conferri id quod ex initio cõditor non dederit. Sed & hoc adhuc ad cognoscendã  
 semetipsam anima requirit, si uirtus animæ eius accedere potest & decedere. An est im-  
 mutabilis, an acquisita semel ultra nõ defluit. Et quid opus est plura commemorare, qui-  
 bus ex causis semetipsã cognoscat anima, ne forte si neglexerit perfecte semetipsam co-  
 gnoscere, exire iubeat̃ in uestigijs gregum, & pascere hœdos, & hoc nõ in pprio taber-  
 naculo, sed in tabernaculis pastorũ: cũ præsto sit uolenti hæc persequi largissimas occa-  
 siones ex his quę supra memorauimus sumere, in quibus sese exercere in sermone sciẽ-  
 tię pro uiribus possit? Dicãtur uerò hæc à uerbo dei etiã ad animam quę in profectibus  
 quidem posita est, nondum tamen ad summũ perfectionis ascendit. Quę pro eo quidẽ  
 quod proficit pulchra dicitur: ut autem peruenire possit & ad perfectionẽ, fiat ad eã cõ-  
 minatio necessaria: q̃ nisi per ista singula quę supra diximus semetipsam cognouerit,  
 & uigilãter exercuerit in uerbo dei & lege diuina, cõtinet ei de his singulis opiniones  
 colligere diuersorũ, & sequi homines nihil egregiũ, nihil ex spiritu sancto locutos. hoc  
 est enim exire in uestigijs gregum, & eorum doctrinam sectari, qui & si ipsi permanse-  
 rint peccatores, nullum peccantibus remediũ providere potuerint. Quos qui sequit̃,  
 hœdos utiq̃ qui peccatorum indicium tenet, uidebitur pascere, circumiens tabernacu-  
 la pastorũ, diuersas scilicet sectas philosophorũ. Intuere ergo plenius quàm terribile est  
 quod sub hac adumbratur figura. Exi (inquit) tu in uestigijs gregũ. quasi ad eam loqui-  
 tur quę intus iam sit anima, & intra mysteria collocata: pro eo tamen quod negligat se-  
 metipsam cognoscere, & requirere quę sit & quid, uel quomodo agere debeat, quidũe  
 non agere, dicitur ei, exi tu: quasi quę ob hanc desidię culpam foras mittatur ab eo qui  
 præest. Sic ingens animę periculum est scientiam sui agnitionemq̃ negligere. Sed for-  
 tasse quia duplicem expositionem dedimus agnitionis suę animę, uidebitur cuipiã se-  
 cundum eam quidem quę de moribus de actibus suis discutere negligit, & inquirere  
 de profectibus suis, aut perscrutari de uitijs, merito ei dici: Exi: per quod uideat̃ quasi de  
 interioribus foras propelli. Si uerò secũdum editionem aliam, qua diximus quod natu-  
 ram substantiamq̃ suã agnoscere debeat, & statum uel in quo fuerit, uel in quo erit, gra-  
ue

ue credetur. Quę enim facile talis anima inuenietur, ita perfecta, ita præpotēs, cui horū omnium ratio & intelligentia pateat? Ad hoc respondebimus, quoniā sermo qui habetur in manibus non ad omnes animas fit, neq; ad adoleſcētulas quibus hīc loquitur spōsus, neq; ad cęteras mulieres, neq; ad octoginta concubinas, aut sexaginta reginas, sed ad illam, quę inter omnes mulieres sola pulchra dicitur & perfecta. Vnde apparet ad dilectas quasq; animas hęc dici, quibus cū gratia multa sentiendi & intelligendi à deo data sit, negligunt tamen scientiæ partes, & cognoscēdi semetipsas nullū adhibēt studiū. His ergo cōminatur sermo diuinus: quia quibus multum datur, multum ex eis exigitur. Et humilis quidem & uenia & misericordia dignus erit, potentes autē potenter cruciābuntur. Si ergo & tu anima quę pulchrior es, & eminentior inter cęteras uerbi gratia doctrinis, negligas temetipsam, & in ignorantia tui maneat, quō poterūt uel hī qui ædificari desiderant instrui, uel conuinci & argui cōtradicientes? Digne ergo cū comminatione quadā ad eam dicitur: Exi tu in uestigijs gregū, & pasce hœdos tuos in tabernaculis pastorum. Potest ad hoc trahi etiam illud quod Moyses scribit: Quod si qua Israelitica mulier adulterauerit, lapidetur. Si uerò filia sacerdotis, ignib. exurat. Sic ergo iusta uidebit esse cōminatio in eos qui capaces esse possunt ad agnitionem & scientiam, sed per desidiā negligūt: in quos iustissima indignatio spōsi est, quia scit unius negligentia cedere ad damna multorū. Similis enim uidebitur huiusmodi anima, uel illi qui acceptū denariū abscondit in terrā, ne lucri aliquid ex eo pecuniæ dominus acquireret: uel illi quē occidisse dicitur deus, qui malignus erat, Onā uel Her scilicet, qui accepta femina scientiæ naturalis posteritati inuidēs profundeabat in terra. Pastores quoq; (sicut & ante iam diximus) si quidem ad ecclesiam cōminationis hīc sermo fit, mundi huius principes accipiendi sunt, uel illi angeli, sub quorum cura reliquę gentes habent, siue sorte in hoc, siue secretioribus causis quibusdam seductæ. Si uerò ad unamquāq; animā cōminatio ista referatur, quę semetipsam negligit agnoscere, sapientes & magistri huius seculi intelligendi sunt, docentes sapiētiam huius mundi: ut in summa hoc intelligatur, quia necesse est animā eā præcipue quę bona & pulchra est sensibus, & ingenio uigilans, cognoscere semetipsam, & dare operam ad agnitionem sui per exercitia doctrinæ, & studia diuina, ac per hoc agi spiritu dei & spiritu adoptiōis. Aut si talis hęc anima semetipsam neglexerit, & à diuinis studijs declinauerit, necesse est eam operā dare studijs mūdānis & sapiētia seculi, & agi spiritu mūdi huius iterum in timore. Quod designat apostolus cū dicit: Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui est ex deo. Et iterum: Nō accepistis enim iterum in timore spiritū seruitutis, sed spiritū accepistis adoptionis, in quo clamamus Abba pater. Hęc interim nobis de præsentī loco occurrere potuerunt, nunc iam cōuertamur ad consequentiā. Equitatuī meo in curribus Pharaonis similem te arbitratus sum proxima mea. Historicus quidem sensus hoc uideēt ostēdere. Sicut (inquit) tūc in Aegypto cū Pharaō persequens populū Israel processit in curribus & equitatu, & meus hoc est domini mei sponsi equitatus longe præcellabat currus Pharaonis, & præstātor erat, utpote qui illos superauerit & in mare demerserit: ita & tu proxima mea spōsa præcellis omnes mulieres similis effecta equitatuī meo, qui Pharaonis curribus cōparatus, potētior utiq; est & magnificētior. Hic interim mihi uideēt esse ordo sermonū ipsorū uerborumq; directio. Videamus autem ne forte secundū intelligentiam mysticam animas quę sunt sub illo spiritali Pharaone, & sub spiritalibus nequitijs positæ, currus dicat esse Pharaonis & quadrigas eius, quas ipse agit & ducit ad persequendū populū dei, & ad opprimendum Israel. Certū em̄ est quia tentationes & tribulationes quas excitāt dæmones sanctis, per animas aliquas excitant ad hoc ipsum aptas & cōuenientes. Quibus tanquam curribus ascensis exagitant & impugnant, uel ecclesiā dei, uel singulos quosq; fidelīū. De equitatu uerò domini, qui sit eius iste equitatus, in Exodo quidē ubi superant currus Pharaonis & demerguntur in mare, nihil legimus scriptum, nisi tātū quod dominus currus Pharaonis & exercitū eius proiecit in mare rubrum. Inuenimus tamen in quarto Regnorum libro, quod Helisæus de aduētū hostiū qui cū equitatu & curribus uenerāt, formidanti puero suo dicit: Ne timeas, quoniā plures sunt nobiscum q̄ cū illis. Et orauit (inquit) Helisæus, & dicit: Domine aperi oculos pueri huius ut uideat. Et aperuit dñs oculos eius & uidit. Et ecce mons plenus equitibus

bus erat, & currus ignei in circuitu Helisæi, qui descenderant ad eum. Sed & in propheta Habacuc manifeste & euidenter legimus de equitatu domini, & quod ascendat equos suos. *Abacuc 3* Sūt ergo scripturæ uerba hæc: Nūquid in fluminibus irasceris domine, aut in fluminibus furor tuus, aut in mari rubro impetus tuus? qui ascēdes equos tuos, & equitatus tuus salus. Sūt ergo equi domini, quibus ascendit, & equitatus eius. Quos ego nō alios esse puto quā illas animas quæ frenū disciplinæ eius accipiūt, & iugū portant suauitatis eius, & quæ spiritu dei agunt, & in hoc est eis salus. In reuelatione Ioannis legimus, quod apparuit ei equus, & sedens super eum quidā fidelis & uerus, & cum iustitia iudicās, cuius nomē est uerbū dei. *Apo. 6* Ait ergo: Et uidi cœlū apertum, et ecce equus albus, & qui sedebat super eum uocabatur fidelis & uerus, & cū iustitia iudicās & pugnās: & oculi eius sicut flamma ignis, & super caput eius diademata multa habentia nomen scriptū, qd' nemo nouit nisi ipse, & adopertus erat uestimēto sanguine cōsperso, & uocabatur nomē eius uerbū dei. Et exercitus eius erat in cœlo, & sequebātur eum in equis albis, induti byssino albo puro. Sed opus est gratia dei, quæ horū nobis aperiat intellectū, quo possimus aduertere qd' istæ indicēt uisiones, qui sit equus albus, & qui sit qui sedet super eum, cuius nomen est uerbū dei. Et forte quidē dicet aliquis albū esse equū corpus quod assumpsit dominus, & quo ille qui in principio erat apud deū deus uerbū, uel uestitus uel uectus est. Alius autem animam dicet, quā assumpsit primogenitus omnis creaturæ, & de qua dicebat: Potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. *Ioan. 10* Alius uerò utrunq; simul, corpus atq; animam, quasi ubi peccatū non fuerit, equum dici album putabit. Alius adhuc quarto loco ecclesiā dicet, quæ & corpus eius nominat, album uideri equū, quasi non habentem maculam aut rugam, quā sibi ipse sanctificauit lauacro aquæ. Secundum autem hæc singula etiam illa accipiet quæ sequuntur, militiam cœli, & exercitū uerbi dei, & quomodo singuli quicq; eorū sequentes uerbum dei equis albis sedeant, & byssinis albis induantur & mūdīs. Huic ergo equo albo quo ipse uehit qui uerbū dei appellatur, uel huic equitatu cœlesti qui eum sequit in albis nihilominus equis, cōparat & similem facit Christus ecclesiam suā. In curribus autem Pharaonis uel ita possumus accipere, ut quantum hic domini equitatus equitatū & currus Pharaonis euincit, & præcellit, tantū tu quæ pulchra es in mulieribus, præcellis et euincis omnes reliquas animas, quæ adhuc iugū Pharaōis portant, & sessores eius patiunt: uel certe quod equitatus hic meus, qui lauacro aquæ mūdatus, purus & candidus factus est, & uerbum dei meruit habere sessorē, ex curribus assumptus est Pharaonis. Inde em̄ omnes ueniūt credentes quia Christus uenit in hūc mundū peccatores saluos facere. Hoc ergo modo potest explanari uersiculi huius sensus. Equitatu meo qui fuit ante in curribus Pharaonis, & nunc sequit me in equis albis purificatus in lauacro aquæ, similē te arbitror proxima mea. Beatæ ergo sunt illæ animæ quæ dorsum suū curuauerūt ut suscipiant sessorem uerbū dei super se, & frena eius patiunt, ut quocunq; ipse uoluerit flectat eas, & agat habentis præceptorū suorū: quia iam non propria uolūtate incedunt, sed ad omnia ducuntur & reducunt uoluntate sessoris. Et fortassis uidebitur secundum hoc quod ex multis animabus cōgregata est ecclesia, & exemplū uitæ accepit à Christo, quod non tā ab ipsa deitate uerbi dei acceperit, quæ utiq; supereminet eos actus, uel affectus, qui ad exemplū dari hominibus debeāt: sed illa anima quæ assumpta est ab eo, in qua fuit summa perfectio, illa sit ad exemplū posita, & ipsa dicat hic, proxima mea: cuius similitudinē habere debeat etiā ecclesia, quæ ex multis cōgregat animabus, illis scilicet quæ prius fuerāt sub iugo & curribus Pharaonis, & equitatus domini appellant. Quæ autem ex duabus expositione cōuenire magis proposito uersiculo uideatur, probabis etiam tu qui legis. Quæ speciosa facta sunt genæ tuæ tāquā turturis, ceruix tua sicut redimicula. Ordo dramatis huiusmodi uidetur habere cōsequentia, quod postea quā austeriore usus est cōminatione spūsus ad sponsam, protestatus ei quod nisi cognosceret semetipsam exitura esset in uestigijs gregū, & pasceret nō oues, sed hœdos, erubuerit super austeritate præcepti, sed et rubor uerecūdiæ diffusus in uultu speciosas effecerit genas eius, & multo quæ fuerāt pulchriores: nō solū autem genæ, sed & ceruix eius tam decora sit reddita, quasi monilium redimiculis adornata. Pulchritudo ergo genarū turturibus comparat, quod per huiusmodi aues simul honestas uultus & alacritas indicet. Hæc est historici dramatis explana

1 Cor. 12 tio. Sed ueniamus ad rem. Paulus apostolus scribēs ad ecclesiā Corinthiorū ita ait: Cor-  
 pus autem non est membrū unum, sed multa: Et si dixerit pes quia non sum manus, non  
 sum de corpore, nō propterea nō est de corpore: & si dixerit auricula, quia nō sum ocu-  
 lus, nō sum de corpore, non propterea nō est de corpore. Si totū corpus est oculus, ubi  
 est auditus: si totū auditus, ubi odoratus? Nūc autē deus posuit unūquodq; membrū in  
 corpore sicut uoluit. Et cū plura de hoc disputasset, ad ultimū dicit: Vos autē estis corpus  
 Eph. 5 Christi & membra ex parte. Et iterum ad Ephesios scribēs dicit: Subiecti inuicē in timo-  
 re Christi. Mulieres uiris suis subiectę sint sicut domino: quia uir caput est mulieris, sicut  
 & Christus est caput ecclesię, ipse Saluator corporis. Sed sicut ecclesia subiecta est Chri-  
 sto, ita & mulieres uiris suis in omnibus. Viri diligite uxores uestras, sicut & Christus di-  
 lexit ecclesiam suā, & semetipsum tradidit pro ea, ut eā sanctificaret lauacro aque in uer-  
 bo, ut ipse sibi prępararet gloriosam ecclesiam non habentē maculam, aut rugā, aut ali-  
 quid huiusmodi, sed ut esset sancta & immaculata. Et post pauca: Nemo, inquit, em̄ ali-  
 quādo carnem suam odio habuit, sed nutrit & fouet eam sicut & Christus ecclesiā, quia  
 mēbra sumus corporis eius, & reliqua. Per hęc ergo edocemur, quomodo spōsa Christi  
 quę est ecclesia, etiā sit corpus eius et mēbra. Si ergo audias spōsi mēbra nominari, eccle-  
 się mēbra dici intellige. In quibus sicut sunt aliqui qui dicunt oculi, pro intelligētię sine  
 dubio ac sciētīę lumine, & alij aures pro audiēdo uerbo doctrinę, alij manus pro bonis  
 operibus religiosiscq; ministerijs, ita sunt alij & qui genę eius appellant. Genę autē par-  
 tes uultus dicunt, in quibus honestas et uerecūdia animę agnoscit: per quod sine dubio  
 illi in mēbris ecclesię declarantur, qui castitatis & pudicitię excolūt honestatē. Pro his  
 ergo ad omne corpus spōsę dicit, q̄ speciosę factę sunt genę tuę. Et obserua quia nō di-  
 xit, q̄ speciosę sunt genę tuę: sed q̄ speciosę factę sunt: ut ostendat prius quidē nō eas  
 ita fuisse speciosas, sed postea q̄ suscepit oscula spōsi, et ipse qui loquebat per pphetas  
 prius affuit, & mūdauit sibi ipsi ecclesiā suā lauacro aquę, & fecit eam nō habere macu-  
 lam aut rugam, & agnitionē sui pręstitit ei, tūc factę sunt speciosę genę eius. Tūc enim  
 castitas & pudicitia & uirginitas quę prius nō fuerat, per ecclesię genas specioso deco-  
 re diffusa est. Quę tamē genarū species, id est pudicitię & castitatis, turturibus cōparat.  
 Turturū ferunt huiusmodi naturam esse, ut neq; masculus pręter unā fœminā adeat ali-  
 am, nec fœmina plus q̄ unum patiatur marem: ita ut si accidat altero intercepto super  
 esse alterum, pariter cū cōiuge extinctus sit ei cōcubitus amor. Cōuenienter ergo simi-  
 litudo turturis apratur ecclesię, quod uel alterius uiri post Christū coniugiū nesciat, uel  
 quod continentię & pudicitię in ea tanquā turturū uolitet multitudo. Secundum hanc  
 intelligentiā etiā ceruicem spōsę accipiamus. Quę sine dubio illę intelligi debēt ani-  
 mę, quę Christi iugum suscipiunt dicentis: Suscipite super uos iugum meū, quia iugū  
 meum suauē est. Obedientiā ergo eius ceruices eius appellant. Ceruix ergo eius specio-  
 sa facta est sicut redimicula, & merito. Quam enim prius prauaricationis inobediētia  
 turpem tegerat, nūc obedientiā fidei speciosam fecit & pulchrā. Ceruix ergo tua specio-  
 sa facta est sicut redimicula. Ad utrūq; enim subaudit, speciosa facta est. Redimicula hic  
 dicit constrictiones uel cōnexiones moniliū quę in ceruicibus sedere solent, ex quibus  
 deducit, & descendit per omne collū reliquus ornatus. Ipsi ergo ornamento quod cer-  
 uicibus & collo imponi solet, ceruicē spōsę cōparauit. Quod dictū ita aduertimus Cer-  
 uicem diximus subiectionem & obedientiā dici, pro eo quod quasi iugum Christi sus-  
 cipiat, & fidei eius obedientiā prębeat. Ornamentū ergo ceruicis eius quę est obe-  
 diētia, Christus est. Ipse enim prior factus est obediens usque ad mortem: & sicut per  
 unius, Adā scilicet, inobediētiā peccatores cōstituti sunt multi: ita & per unius obedi-  
 entiam, Christi duntaxat, iusti constituent multi. Ornamentū ergo & monile ceruicis ec-  
 clesię, obedientiā Christi est. Sed & ceruix ecclesię, id est obediētia eius, similis effecta  
 est obediētię Christi, quod est monile ceruicis. Magna ergo in hoc laus sponsę est, ma-  
 gna ecclesię gloria, ubi imitatio obediētię eius exequat obediētię Christi, quam imitat  
 ecclesia. Hęc ipsa species mōilis etiā in Genesi memorat à Iuda patriarcha Thamar nu-  
 rui suę, quādo cū ea quasi cū meretrice cōcubuit, data. Quod nō omnibus patet mysteri-  
 um. Intelligit per hoc, quod Christus ecclesię, quā ex multorū dogmatū prostitutione  
 collegerat, futurę perfectiōis hęc dedit pignora, & istud obediētię monile ceruici eius  
 imposuit

itudines auri faciemus tibi cū distinctionibus argenti, quoad usq; rex sit. Suprà diximus quod specie dramatis libellus hic ordinatus personarū contextitur: & nūc ergo uident hęc amici uel sodales sponsi ad spōsam loquū intelligentiā mysticā & ut suprà iam diximus, aut angeli, uel etiam patriarchæ possunt intelligi. Nō enim tūc solum cum post baptismū Ioan-  
 ntatus est à diabolo dominus, accesserunt angeli et ministrauerūt ei, sed  
 rāsentiæ corporalis ministrauerunt semper. Nā & lex disposita in manu  
 it mediatoris. Et ad Hebręos scribēs apostolus dicit: Si em̄ qui per ange-  
 ermo factus est firmus. Ipsi ergo erant uelut actores & procuratores ap-  
 spōsæ cū pædago lege, donec plenitudo temporū ueniret, & mitteret  
 natum ex muliere, factū sub lege, & adduceret eam sub actoribus & pro-  
 edago lege, ut ipsius uerbi dei oscula, doctrinā scilicet uerbaq; suscipe-  
 go tēpus horū adesset, in multis angelorū ministerio excolebat sponsa,  
 tunc hominibus & loquebant ea quę res poscebat & tempus. Nō enim  
 etu Saluatoris in carne sponsam dici, aut ecclesiam putes, sed ab initio hu-  
 & ab ipsa cōstitutione mūdi. Imò ut Paulo duce altius mysterij huius ori-  
 n, ante etiam constitutionē mundi. Sic enim dicit ipse: Sicut elegit nos in  
 Christo ante constitutionē mundi, ut essemus sancti & immaculati corā ipso in charita-  
 te, prædestinās nos in adoptionē filiorū. Sed & in Psalmis scribit: Memēto cōgregatio-  
 nis tuę domine, quā cōgregasti ab initio. Prima etenim fundamēta cōgregationis eccle-  
 siæ statim ab initio sunt posita, unde et apostolus dicit ædificari ecclesiam nō solū super  
 apostolorū fundamentū, sed etiam prophetarū. Inter prophetas autē numerat et Adam,  
 quia magnū mysteriū pphetauit in Christo & in ecclesia, dicēs: Propter hoc relinquet  
 homo patrē suum & matrē suam, & adhærebit uxori suę, & erūt ambo in carne una. Eui-  
 denter enim de his dictis eius dicit Apostolus, quia mysteriū hoc magnū sit. Ego autem  
 dico in Christo & in ecclesia. Sed & idē Apostolus quū dicit: Sic em̄ ecclesiā dilexit, ut  
 semetipsum traderet pro ea sanctificās lauacro aquæ: non utiq; ostendit eam prius non  
 fuisse, quomodo enim dilexisset eam quæ non erat: sed eam sine dubio dilexit quę erat.  
 Erat autē in omnibus sanctis qui ab initio seculi fuerūt facti. Diligēs igitur eam, uenit ad  
 eam. Et sicut pueri sui cōmunicauerūt carnī et sanguini, similiter et ipse particeps factus  
 est eorundē, ac semetipsum pro eis tradidit. Ipsi enim erant ecclesia quā dilexit, ut eā uel  
 numerositate augetet, uel uirtutibus excoleret, uel perfectiōis charitate de terris trans-  
 ferret ad cœlū. Ministrauerūt ergo & prophætæ ab initio, ministrauerūt & angeli. Quid  
 enim aliud fiebat tunc cū apparuerūt tres uiri Abrahę sedētī ad quercū Mambre: Licet  
 illa angelorū species plus aliquid q̄ angelicū ostenderit ministeriū: nā trinitatis ibi my-  
 steriū prodebat. Hoc erat & in Exodo, cū angelus dñi dicitur in flamma ignis appa-  
 ruisse Moyli in rubo. Continuo autē in subsequentibus dominus & deus loqui in ange-  
 lo scribitur, & ipse deus esse Abrahā & deus Isaac & deus Iacob designat. Quod quidā  
 hereticorū legentes dixerunt: Deum legis & prophetarū longe inferiorē esse q̄ Iesum  
 Christū & spiritū sanctū: & eousq; impietate suam protenderūt, ut plenitudinē quidem  
 in Christo ponant & in spiritu sancto, imperfectionē uerò & infirmitatem in deo legis.  
 Sed hæc aliās. Nunc autē nobis propositū est ostendere, quomodo sancti angeli qui an-  
 te aduentū Christi uelut paruulæ adhuc sponsæ tutelam procurabant, ipsi sint amici &  
 sodales sponsi, qui ad eam dicere uideant: Faciamus tibi similitudines auri cū distinctio-  
 nibus argenti, usq; quo rex sit in recubitu suo. Inducant ergo quod ipsi faciant sponsę non  
 aurum (neq; enim habebāt tale aurum quale dignū erat offerri sponsæ) sed pro auro si-  
 militudines auri se facere promittūt, et nō unam similitudinē, sed multas. Ita etiam dicūt  
 de argento, sed quasi habētes licet paruā argenti materiā, promittunt se ei facere nō si-  
 militudines, sed distinctiones argenti: utpote quibus nō tanta abūdaret argenti materia,  
 ut connexū aliquid & solidū opus ex eo producere possent, sed distinctiones solas, ac si-  
 gna quędā parua uelut pūcta interfererent illi operi, quod ei ex auri similitudine facie-  
 bant. Hęc ergo amici sponsi, illi de quibus suprà diximus, spōsæ faciūt ornamenta. Sed  
 quid in his secreti cōtineatur & quid elocutiōis nouitas ipsa parturiat, omnipotētis uer-  
 bi ac spōsi patrē precemur, ut ipse nobis arcani huius claustra patefaciat, quo possimus

imposuit. Similitudines auri faciemus tibi cū distinctionibus argenti, quoad usq; rex sit in recubitu suo. Suprà diximus quod specie dramatis libellus hic ordinatus personarū immutatione contexitur: & nūc ergo uident hęc amici uel sodales sponsi ad spōsam locuti, qui secundū intelligentiā mysticam & ut suprà iam diximus, aut angeli, uel etiā prophetæ, aut patriarchæ possunt intelligi. Nō enim tūc solum cum post baptisimū Ioannis in deserto tentatus est à diabolo dominus, accesserunt angeli et ministrauerūt ei, sed ante aduentū præsentiæ corporalis ministrauerunt semper. Nā & lex disposita in manu per angelos dicit mediatoris. Et ad Hebręos scribēs apostolus dicit: Si em̄ qui per angelos habitus est sermo factus est firmus. Ipsi ergo erant uelut actores & procuratores apppositi paruulæ spōsæ cū pædagogo lege, donec plenitudo temporū ueniret, & mitte et deus filium suū natum ex muliere, factū sub lege, & adduceret eam sub actoribus & procuratorib; & pædagogo lege, ut ipsius uerbi dei oscula, doctrinā scilicet uerbaq; suscipere ret. Antequā ergo tēpus horū adesset, in multis angelorū ministerio excolebat sponsa, qui apparebāt tunc hominibus & loquebant ea quę res poscebat & tempus. Nō enim tu mihi ex aduentu Saluatoris in carne sponsam dici, aut ecclesiam putes, sed ab initio humani generis, & ab ipsa cōstitutione mūdi. Imò ut Paulo duce altius mysterij huius originem repetam, ante etiam constitutionē mundi. Sic enim dicit ipse: Sicut elegit nos in Christo ante constitutionē mundi, ut essemus sancti & immaculati corā ipso in charitate, prædestinās nos in adoptionē filiorū. Sed & in Psalmis scribit: Memēto cōgregationis tuę domine, quā cōgregasti ab initio. Prima etenim fundamēta cōgregationis ecclesiæ statim ab initio sunt posita, unde et apostolus dicit ædificari ecclesiam nō solū super apostolorū fundamentū, sed etiam prophetarū. Inter prophetas autē numerat et Adam, quia magnū mysteriū pphetauit in Christo & in ecclesia, dicēs: Propter hoc relinquet homo patrē suum & matrē suam, & adhærebit uxori suę, & erūt ambo in carne una. Eui denter enim de his dictis eius dicit Apostolus, quia mysteriū hoc magnū sit. Ego autem dico in Christo & in ecclesia. Sed & idē Apostolus quū dicit: Sic em̄ ecclesiā dilexit, ut semetipsum traderet pro ea sanctificās lauacro aquæ: non utiq; ostendit eam prius non fuisse, quomodo enim dilexisset eam quæ non erat: sed eam sine dubio dilexit quę erat. Erat autē in omnibus sanctis qui ab initio seculi fuerūt facti. Diligēs igitur eam, uenit ad eam. Et sicut pueri sui cōmunicauerūt carni et sanguini, similiter et ipse particeps factus est eorundē, ac semetipsum pro eis tradidit. Ipsi enim erant ecclesia quā dilexit, ut eā uel numerositate augetet, uel uirtutibus excoleret, uel perfectiōis charitate de terris transferret ad cœlū. Ministrauerūt ergo & prophetæ ab initio, ministrauerūt & angeli. Quid enim aliud fiebat tunc cū apparuerūt tres uiri Abrahę sedēti ad quercū Mambre: Licet illa angelorū species plus aliquid q̄ angelicū ostenderit ministeriū: nā trinitatis ibi mysteriū prodebatur. Hoc erat & in Exodo, cū angelus dñi dicitur in flamma ignis apparuisse Moysi in rubo. Continuo autē in subsequentibus dominus & deus loqui in angelo scribitur, & ipse deus esse Abrahā & deus Isaac & deus Iacob designat. Quod quidā hæreticorū legentes dixerunt: Deum legis & prophetarū longe inferiorē esse q̄ Iesum Christū & spiritū sanctū: & eousq; impietate suam protenderūt, ut plenitudinē quidem in Christo ponant & in spiritu sancto, imperfectionē uerò & infirmitatem in deo legis. Sed hæc aliās. Nunc autē nobis propositū est ostendere, quomodo sancti angeli qui ante aduentū Christi uelut paruulæ adhuc sponsæ tutelam procurabant, ipsi sunt amici & sodales sponsi, qui ad eam dicere uideant: Faciamus tibi similitudines auri cū distinctionibus argenti, usq; quo rex sit in recubitu suo. Inducant ergo quod ipsi faciant sponsę non aurum (neq; enim habebāt tale aurum quale dignū erat offerri sponsæ) sed pro auro similitudines auri se facere promittūt, et nō unam similitudinē, sed multas. Ita etiam dicūt de argento, sed quasi habētes licet paruā argenti materiam, promittunt se ei facere nō similitudines, sed distinctiones argenti: utpote quibus nō tanta abūdaret argenti materia, ut connexū aliquid & solidū opus ex eo producere possent, sed distinctiones solas, ac si gna quedā parua uelut pūcta interfererent illi operi, quod ei ex auri similitudine faciebant. Hęc ergo amici sponsi, illi de quibus suprà diximus, spōsæ faciūt ornamenta. Sed quid in his secreti cōtineatur & quid elocutiōis nouitas ipsa parturiat, omnipotētis uerbi ac spōsi patrē precemur, ut ipse nobis arcani huius claustra patefaciat, quo possimus

non solum ad intelligenda hæc illuminari, uerū etiam ad proferēda, ac secundū mensuram eorū qui lecturi sunt, moderatione eloquij spiritalis accipere. Auri specię in multis saepe ostēdimus figurā tenere inuisibilis & incorporeę naturę: Argētū uerō uirtutē uerbi ac rationis: secundū quod & dominus dicit per prophetā: Dedi uobis argentiū & aurum: uos autē fecistis argentea & aurea Baalim: ostēdens per hæc & dicens, quia dedi uobis sensum & rationem qua me deum & sentire possētis & colere: uos autem & sensum & rationem quę in uobis est, ad colenda dæmonia trāstulistis. Sed & eloquia domini, eloquia casta, argentiū igne probatum dicitur. Et item in alijs argentiū ignitū iusti lingua memoratur. Cherubim uerō aurea dicuntur, quoniam quidē plenitudo sciētię dei interpretantur. Sed & candelabrū in tabernaculo testimonij aureum & solidū poni iubebatur: quod mihi uidetur formā tenere naturalis legis, in qua lex sciētię habetur. Sed quod opus est multa cōgregare testimonia, quū in prōptu sit scire uolētibus in multis scripturæ locis hoc indicari, quod aurum ad sensum mentemq; reuocetur, argentiū uerō ad uerbum atq; eloquia referatur: Nūc ergo properemus ad contemplandū quomodo secundum ea quę præmisimus, amici sponsi dicant se similitudines auri facere sponsę cum distinctionibus argenti. Videat ergo mihi quod lex quę per angelos disposita est in manu mediatoris, quando quidē umbram habeat futurorū honorū, non ipsam imaginem rerum, & quęcunq; contingebant illis qui in lege referuntur, in figura & nō in ueritate contingebant, ista omnia similitudines auri fuerunt, non aurū uerū. Quod scilicet aurū uerum in illis quę incorporea sunt & inuisibilia ac spiritalia intelligat: similitudo uerō auri in quo nō est ipsa ueritas, sed umbra ueritatis, ista corporea & uisibilia accipiant. Verbi gratia, similitudo auri fuit istud tabernaculū manu factū, de quo dicit apostolus: Nō enim manu facta ista introiuit Iesus exēplaria uerorū, sed in ipsum cœlū. Ergo quę in cœlis sunt inuisibilia & incorporea, illa sunt uera: ista autē quę in terris sunt uisibilia & corporea, exēplaria uerorū dicuntur esse, nō uera. Ista ergo sunt quę similitudines auri appellantur: in quibus est & arca testamēti & propitiatoriū, & Cherubim, & altare incensæ, et mensa propolitiōis, & panes, sed & uelamen, & colūna ac seræ, & altare holocaustorū, & ipsum templū, atq; omnia quę in lege scripta sunt. Omnia hec similitudines erāt auri. Sed & ipsum aurū uisibile, pro eo quod uisibile erat, nō erat aurum uerū, sed similitudo erat illius uerū auri inuisibilis. Ista ergo similitudines auri fecerūt sponsę ecclesię sponsi amici, angeli uidelicet & ppheta: qui ministrauerūt in lege ceterisq; mysterijs. Hęc (opinor) & Paulus intelligēs dicebat: In religione angelorū, in his quę uidet frustra inflatus sensu carnis suę. Omnis ergo iudaicus cultus & religio, similitudines sunt auri. Cum autē conuersus fuerit quis ad dominū, & ablatū fuerit ab eo uelamen, tunc uidebit aurū uerum: cuius auri antequā adesset & cognoscendū se præberet, similitudines fecerunt sponsę amici eius, ut ex illis similitudinibus cōmonita & prouocata, uerū auri desiderium caperet. Hoc enim factum indicat Paulus, quū dicit: Hęc autem in figura contingebāt illis. Scripta autē sunt propter nos, in quos finis seculorū deuenit. Sed & finem quē dicit Paulus, nō intelligas corporalē. Finis enim corporalis multos inueniet pro quibus non sunt scripta hæc: neq; enim huiusmodi de his recipient intellectum. Sed finē seculorū, perfectionē rerū intellige, quę utiq; Paulo & similibus eius aduenisse, & propter ipsos scripta hæc esse dicuntur. Sed hæc in excursu diximus, uolentes ostēdere quomodo amici sponsi dicant ad sponsam, facere se ei similitudines auri cū distinctionibus argēti, per ea scilicet quę in lege & prophetis p figuras & imagines & similitudines & parabolas, scripta tradiderunt. Sunt tamen in his & paruę quędā distinctiones argēti, indicia scilicet sensus spiritalis uerbi interpretationis rationalis, licet & ualde rara & exigua. Ante aduentum namq; domini uix sicubi prophetarum aliquis parū quid occulti sermonis aperuit: uerbi gratia, ut Esaias cum dicit: Vineam domini Sabaoth domus Israel est, et domus Iuda nouella dilecta. Et iterū alibi: Aquę multę, gētes multę sunt. Et Ezechiel nominans duas sorores Oollam, & Oolibam, aliā Samariā distinguit esse & aliā Iudæam, & sicubi talia quędā ipsis prophetis interpretatibus aperiuntur, istę distinctiones argēti dicunt. Vbi uerō Saluator & dominus noster Iesus Christus aduenit nota faciēs omnia uerbo uirtutis suę, in passione eius indicium datū est, quod ea quę in absconditis tenebantur, & arcana erāt, in lucē proferrent, et ad manifestationē uenirēt per hoc quod uelam

templi

templi quo sancta sanctorum & arcana uelabant, scissum est desursum eius usque deorsum palam fore denunciatis omnibus, quod intrinsecus uidebat obiectum. Sic ergo illud quod per angelos & prophetas ministratum est, similitudo auri fuit, cum distinctionibus paruis & exiguis argenti. Hæc autem quæ per ipsum dominum nostrum Iesum Christum tradita sunt, in auro uero & argento solido collocata sunt. Hæc enim quæ per amicos sponsi facta est, similitudo auri cum distinctionibus argenti, non in sempiternum mansura promittitur: sed tempus ei statuitur ab illis ipsis dicentibus, usque quo rex sit in recubitu suo. Cum enim recubans dormierit ut leo, & ut catulus leonis, & post hæc suscitauerit eum pater, & resurrexerit à mortuis, si qui fuerint conformes resurrectionis eius, iam non in similitudine auri, id est non in rerum corporaliu cultu manebunt: sed aurum uerum ab ipsis percipient, credentes & sperantes non ea quæ uidentur, sed quæ non uidentur, nec quæ in terris sunt, sed quæ in cœlis, ubi Christus est in dextera dei sedens, & dicent: Quia & si cognouimus Christum aliquando secundum carnem, sed nunc iam non nouimus. Non ergo iam distinctionibus paruis argenti, sed in latitudinem diffuso utentur argento. Audient enim quod in illa auri similitudine petra quæ sequi dicitur, & potum populo præbere, Christus est, & mare baptismus est, & nubes spiritus sanctus est, & manna uerbum dei est, & agnus paschæ saluator est, & sanguis agni passio Christi est, & uelum quod est in sanctis sanctorum, quo diuina illa & arcana tangebantur, caro eius est: aliaque innumera ex eius resurrectione patebunt, non iam parua ut prius distinctione, sed latissima expositione patefacta. Adhuc autem ut clarius fiat quod dicitur: *Cant. 1*

Usque quo rex sit in recubitu suo, etiam de secunda Balaam prophetia quæ de Christo ita continet, proferemus: Orietur (inquit) stella ex Iacob, et exiet homo de semine eius, et domina bitur gentibus multis. Exaltabitur Gog regnum eius, & crescet regnum eius. Deus educet eum ex Aegypto sicut gloria unicornis, & comedet gentes inimicorum suorum, & crassitudines eorum emedullabit, & iaculis suis sagittabit eos. Recubens ut leo requiescet, & sicut catulus leonis. Quis suscitabit eum? Considera ergo & ex his diligenter, & uide quomodo omnis similitudo auri usque ad extremum tempus, ad recubitum regis scilicet, stare memorat. Post hæc ergo exaltabit Gog, id est super tecta, regnum eius, quum uidelicet de terris ad cœlestia fuerit tecta translatum. Sed de his plenius prout dominus dedit, in Numerorum libro profecti sumus. Requiritur sane si etiam sanctis patribus ipsis et prophetis qui ministrauerunt uerbum ante aduentum domini nostri Iesu Christi, perfectionis huius, uerique auri gratia data sit: an tantum futura hæc intellexerint, & in spiritu uerura præuiderint: atque ob hoc solum dixerit dominus de Abraham, quia desiderauerit uidere diem eius, & uiderit, & lætatus sit, quod scilicet in spiritu futura præuiderit. Et magis fortasse hoc ita esse etiam ille sermo confirmet, qui ait: Multi iusti desiderauerunt uidere quæ uidentis, & non uiderunt & audire quæ auditis, & non audierunt. Quauis nec illis potuerit defuisse perfectio ueniens ex fide. Quæ enim nos facta credimus, hæc illi maiore cum expectatione futura credebant. Sicut ergo ex aduentu Christi credentes præteritorum fides, ita & illos futurorum ad summam perfectionis adduxit. Quod si ad unamquamque animam referat expositio, uidebitur quod donec paruula est adhuc anima & imperfecta, & sub tutoribus et procuratoribus posita, siue doctoribus ecclesiæ, siue angelis, qui paruulorum custodes esse dicuntur, & uidere semper faciem patris qui in cœlis est, similitudines auri fuerint ei, quum non solidis & fortibus aliter uerbi dei cibis, sed similitudinibus imbuitur, uelut si dicamus parabolis & exemplis doceat, pro quibus & ipse Christus dicitur ætate crescere & sapientia & gratia apud deum & homines. In illis ergo similitudinibus imbuitur, & fuerint ei paruule distinctiones argenti. Aperitur enim interdum & his qui imbuntur parua aliqua & rara de secretioribus mysteriis, ut desiderium concipiatur maiorum. Neque enim desiderari quid potest si penitus ignoret. Et ideo incipientibus & primis in eruditionibus positus, sicut non sunt ad subitum cuncta pandenda, ita neque penitus abscondenda sunt spiritalia mysteria: sed ut ait sermo diuinus, faciende sunt eis distinctiones argenti & scintillæ quedam spiritalis intelligentiæ animis eorum inhiatæ sunt, ut gustum quodammodo desiderantem dulcedinis sumant, ne ut diximus si penitus ignoret, nec omnino desideret. Verum quod paruulam nominamus animam, nemo ita accipiat quasi secundum substantiam paruula dicat: sed si cui deest eruditio, & in qua est exiguus intellectus ac minima peritia, hanc paruulam dicimus animam. Igitur hæc fieri conuenit usque quo rex sit in recubitu suo: id est usque quo in id proficiat huiusmodi anima, ut ca-

- Leuit. 26* piat regem, et habeat recubentem in semetipsa. Sic enim dicit hic rex: Quia habitabo in eis & inambulabo in eis, profecto qui tantā uerbo dei cordis sui latitudinē prābēt, ut etiā in eis deambulare dicat, spatijs scilicet amplioribus intelligētis, agnitioisq; diffusioris. Ita ergo & recubare dicit in anima, illa sine dubio de qua ipse dñs dicit per prophetā: *Esa. 66* Super quē requiescam, nisi super humilē & quietū, & timentē sermones meos: Habet ergo rex iste qui est sermo dei, in illa anima quē iam ad perfectū uenerit, recubitum suū: si tamen nō sit in ea aliquod uitium, sed plena sit sanctitate, plena pietate, fide, charitate, pace, omnibusq; uirtutibus. Tūc em̄ delectat in ea recubare regē, & habere recubitū.
- Ioan. 14* Ad hanc enim animam dominus dicebat: Quia ego & pater meus ueniemus, & cœnabimus cū eo, & mansionē faciemus apud eum. Vbi ergo cœnat Christus cū patre, & ubi mansionē facit, quidni recūbit? Beata illius latitudo animæ, beata strata illius mētis, ubi pater & filius (ut nō dubito) una cū spiritu sancto recūbit, cœnat, et mansionem facit. Quibus putas opibus, quibus copijs tales cōuiuē pascunt? Pax ubi primus cibus est, humilitas simul apponitur ac patientia, māsueto quoq; & lenitas, & quod summe ei sua uirtutis est, puritas cordis. Charitas aut̄ in hoc cōuiuio principalē obtinet locū. Tali ergo modo etiā tertia expositione ad unamquancq; animam referri posse uidebit, quod ait: Si militudines auri faciemus tibi cū distinctionibus argenti, quoadusq; rex sit in recubitu suo. Nardus mea dedit odorē suū, siue odorē eius. In specie dramatis uidet̄ hoc ostendi, quod post hęc uerba ingressa sit spōsa ad spōsum, & unguētis suis unxerit eū, ac miro quodam genere, quasi nardus quæ prius odorē non dederat quū esset apud spōsam, tunc dederit odorē suum, quum corpus cōtigit sponsi, ut nō tam ille ex nardo odorē quam nardus ex ipso sumpsisse uideat. Si uerō secundum hanc differentiam quæ in alijs inuenitur exemplaribus legimus: Nardus mea dedit odorē eius, inuenit̄ adhuc aliquid diuinius: ut uidelicet unguentū hoc nardi quo unctus est sponsus, nō tantū suum qui Nardo inesse naturaliter solet, sed ipsius spōsi odorē ceperit, & ipsius odorem ad spōsum reportaauerit Nardus: ut in eo quo unxit eū, odorem spōsi per ipsius unguenti munus acceperit, & hoc sit quod dicere uideat: Nardus mea qua unxi spōsum, regressa ad me odorē mihi detulit spōsi, & uelut superato naturali suo odore præ fragrantia spōsi, ipsius mihi detulit suauitatē. Hęc habet historici dramatis explanatio. Sed ueniamus iā nunc ad intelligentiam spiritalem. Ponamus hic spōsam ecclesiā in persona Mariæ, quæ decenter utiq; dicitur afferre libram unguēti Nardi pistici preciosi, & ungere pedes Iesu, & detergere capillis suis, & recipere quodāmodo ac recuperare per crinē capitis sui ad semetipsam unguentū ex qualitate ac uirtute corporis eius infectum: & odorē non tam Nardi per unguentum q̄ ipsius uerbi dei ad se trahentē per capillos quibus abstergebat pedes, & imposuit capiti suo, non tam Nardi q̄ Christi fragrantiam: & dicere, quia Nardus mea misa in corpus Christi, reddit mihi odorem eius. Deniq; uide quomodo hęc ipsa referuntur. *Ibid.* Maria (inquit) attulit libram unguēti Nardi pistici preciosi, & unxit pedes Iesu, & extersit capillis capitis sui. Domus aut̄ (inquit) tota repleta est odore unguēti. Quod utiq; indicat, quia odor doctrinæ qui procedit de Christo & sancti spiritus fragrantia: repleuit omnem mūdi huius domū ac totius ecclesiæ domū. Vel certe repleuit omnem domū animæ illius, quæ odoris Christi suscepit participiū, offerēs primo fidei suę munus, uelut unguentū nardi, & recipiēs ex hoc gratiam spiritus sancti & spiritualis doctrinæ fragrantia. Quid ergo interest, utrum in cantico canticorū spōsa perungat unguento sponsū, an in euangelio discipula magistrū & Maria Christū, sperans (ut diximus) redire ad se ex hoc unguento odorē uerbi & fragrantiam Christi: ut eo ipso dicat: Christi bonus odor sumus deo? Et quoniā plenū fide fuit istud unguentū & preciosi effectus, ob hoc et Iesus testimoniū reddidit ei dicens: Bonum opus operata est in me. Sic ergo rursus in Cātico canticorū post aliquanta amplectitur emissiones sponsę, sicut hic opus Marię, ait enim: *Cant. 4* Emissiones tuę paradysus cū fructu pomorum. Cyperus cū nardis. Nardus cum crocis: Amplectiū ergo & in his emissioes ac munera sponsę: Obseruauimus sane quod in his quæ nunc memorauimus, pluraliter primo, postmodū singulariter nardū posuit: quod puto secundū illam rationē dictum, quia negotiator regni cœlorum plures primo margaritas negotiatur, usq; quo ad unam perueniat preciosam. Et forte quod dixit: Emissiones tuę paradysus cū fructibus pomorum, illos indicat fructus cū nardis plurimis, quos afferimus

afferimus ex institutiōibus & doctrīna prophetica. Ex doctrīna uerò ipsius domini nostri Iesu Christi, emissiones nostræ & munera non plures habent nardos, sed unam. Sed nunc redeamus ad eam quæ dicit: Nardus mea dedit odorem suum: & uide si possumus adhuc etiã hoc in loco intelligere præsentī, quod siquãdo ualuerimus integre & decen-  
 ter exponere de deitate Christi, uirtutemq; eius ac maiestatem dignis assertionib. consi-  
 gnare, tũc fortassis merito dicet, uel ecclesia illa, uel anima quæ ita manifeste potuerit  
 gloriã eius exponere: Nardus mea dedit odorem suum. Nec mirũ uideri debet, si Chri-  
 stus quemadmodũ fons est, & flumina aquæ uiuæ de eo procedũt, & quemadmodũ pa-  
 nis est, & uitã dat: ita & nardus est, & odorem reddit, & unguentũ est, quo qui uncti fue-  
 rint, Christi fiant, sicut dicit in psalmo: Nolite tangere Christos meos. Et fortasse secun- Psal. 105  
 dum illud quod dicit apostolus, his qui exercitatos habẽt sensus ad discretiõnẽ boni uel Heb. 5  
 mali, singulis quibusq; sensibus animæ singula quæq; Christus efficitur. Idcirco em̄ et ue-  
 rum lumen dicitur, ut habeant oculi animæ quo illuminentur: idcirco & uerbum, ut ha-  
 beant aures qd̄ audiant: idcirco et panis uitæ, ut habeat gustus animæ quod degustet. Id-  
 circo ergo & unguentũ uel nardus appellatur, ut habeat odoratus animæ fragrantia uer-  
 bi. Idcirco & palpabilis & manu tractabilis, & uerbũ caro factum dicitur, ut possit inte-  
 rioris animæ manus contingere de uerbo uitæ. Hæc autem omnia unũ atq; idem est uer-  
 bum dei, quod per hæc singula affectibus orationis commutatum, nullũ animæ sensum  
 gratiæ suæ relinquat expertẽ. Alligamentũ guttæ fratri uel is meus mihi, in medio ube Cant. 1  
 rum meorũ manebit, siue cõmorabitur. Eiusdem adhuc uerba sunt spõsæ ad adolescen-  
 tulas (ut uideretur) loquentis. Prius quidem dixerat, quia nardus sua dedisset odorẽ spon-  
 so, & quia per unguentũ quo unxerat eum, odoris fragrantium recepisset: nunc aut̄ ait,  
 Fraternus meus mihi guttam redolet: & hanc non diffusam, neq; ut libet dispersam, sed  
 colligatã & constrictã, quo scilicet odor ipsius suauitatis dẽsior reddatur & uehemen-  
 tior. Et hic (inquit) cum talis sit, in medio uberum meorum demoratur & cõmanet, &  
 requiem ac mansionem suam facit in loco pectoris mei. Verum quod nunc primũ cog-  
 nominauit eum fraternum suum sponsa, & nominis huius appellatiõne per totum penẽ  
 libellũ textũ frequenter utitur, dignũ puto ut prius requiramus appellatiõnis ipsius cau-  
 sam, et quid, uel unde fraternus dicit̄, exponamus. Fraternus appellatur fratris filius. Re-  
 quiramus quis sit primo frater spõsæ, cuius hic filius habeatur. Vide si possumus dicere,  
 sponsam quidem ex gentibus esse ecclesiam, fratrem uerò eius priorem populũ & fra-  
 trem, ut res indicat, seniore. Quia ergo ex illo populo Christus secundũ carnem nasci-  
 tur, ob hoc ab ecclesia gẽtium fratris filius appellatur. Quod ergo ait: Alligamentũ gut-  
 tæ fraternus meus mihi, corporeæ natiuitatis eius indicat sacramentũ. Videñ enim quo-  
 dammodo alligamentũ esse et uinculum quoddã animæ corpus, quod alligamentũ gut-  
 ta in Christo diuinæ uirtutis ac suauitatis astringitur. Si autem ad unamquãq; animam  
 quæ dicta sunt, referũtur, alligatura guttæ dogmatum cõtinentiæ constrictiõ, ac diuina  
 rum sententiarũ nodositas intelligitur. Innexæ enim sibi inuicẽ sunt fidei ratiões, & uin-  
 culis ueritatis astrictæ. Deniq; & lex mundum dicit esse omne uas quod alligatũ est, im- Leuit. 8  
 mundum uerò quod solutum fuerit, & non ligatũ. Cuius rei hæc figura erat, quod Chri-  
 stus in quo nunq; fuit ulla immũditia peccati, alligamentũ guttæ dicitur. Et ideo anima  
 non debet contingere aliquid dissolutũ, & quod nõ sit ratione subnixũ, & dogmatum  
 ueritate constrictũ, ne immunda fiat. Qui enim immundũ contigerit, immundus erit se Leuit. 11  
 cundum legem. Continget nanq; eum sensus irrationabilis, & alienus à sapiẽtia dei, &  
 faciet eum immũdum. Vide autem si forte filium dei in carne guttam dictũ, & quasi bre-  
 uẽ aliquid & exiguum nominatum possumus accipere, sicut & Daniel de eo dicit: La- Dan. 2  
 pidem paruum de monte excisum sine manibus, & factum post hæc montem magnũ.  
 Vel sicut in libello duodecim prophetarũ nihilominus gutta quidẽ futura dicitur, quæ  
 congreget populum. Est ergo & in prophetis ita scriptũ: Et erit ex gutta populi huius Malac. 2  
 congregatus Iacob. Decebat enim eum qui ueniebat congregare nõ solũ Iacob, sed &  
 omnes gentes, quæ sicut Propheta dicit, reputatę sunt tanquã gutta ex situla, ex inani-  
 tem se diuinitatis forma, effici ipsam ut guttã, & sic uenire ad congregandã guttam  
 gentiũ, & guttã nihilominus reliquiarũ Iacob. Sed & in quadragesimo quarto psalmo  
 dicitur ad dilectũ, cui etiam ipse psalmus ascribitur: Myrrha et gutta & cassia à uestimen-

tis tuis. A uestimentis ergo uerbi dei, quæ est doctrina sapientiæ, procedit myrrha, mortis duntaxat indicium pro humano genere susceptæ. Gutta (ut supra diximus) exinanita diuinitatis forma, seruilis formæ suscepta dignatio. Casia quoq; quoniã id genus herbæ aquis indefinentibus nutriri dicitur & coalescere, redemptionem humani generis per aquas baptismi indicat datam. Sic ergo alligaturã guttæ fraternum suum sponsa tanquam nuptiali dramate loquens inter medium uberum suorum commorantem dicit: Vbera (ut superius iam diximus) principale cordis aduerte, in quo ecclesia Christum, uel anima uerbum dei desiderij sui uinculis alligatũ tenet & allicitum. Si quis enim uerbum dei toto affectu in corde suo, & toto amore constringit, ipse solus poterit odorem

*Cant. 1* fragrantia eius & suauitatis accipere. Botrus cyperi fraternus meus mihi in uineis Engaddi. Quantum ad literę ipsius explanationem, habet aliquid ambiguum quod ait: Botrus cyperi fratruelis mihi: quia & uua florens cyperus appellatur, & species quædã extrinsecus uirgulti est, quæ cyperus dicitur, ferens etiã ipsa floridum quendam fructum in modum florentis uuæ prolatum. Sed uidetur magis ad fructum uitis respicere sermo, quandoquidem uinearum Engaddi facta est memoria. Engaddum autem ager terræ ludææ est, non tantum uineis quantum balsamis florens. Hic ergo erit historicus sensus sponsæ loquentis ad adolescentulas, ut intelligatur dicens: Primo quidẽ: Nardus mea odorem mihi sponsi mei reddit. Secundo uerò alligamentum guttæ effectus est fraternus meus mihi demorans inter media ubera mea. Tertio botrus cyperi ex uineis Engaddi superans omne quicquid est in odoribus et floribus suauitatis: quo scilicet audientes hæc adolescentulæ magis ac magis ad charitatem spõsi concitentur & amorem. Idcirco autem singulatim, & per ordinem, primo nardum suam, deinde guttam, post hæc etiã botrum cyperi nominat, ut per eos gradus quosdam profectus doceat charitatis. Sed uideamus iam quid spiritalis habeat intellectus. Siquidem hic qui appellatur botrus, ad fructum uitis referendus est: Verbum dei accipimus sicut sapientiam et uirtutẽ, & thesaurum scientiæ, aliãq; multa, ita & uitem ueram dici. Sicut ergo his quibus efficitur sapientia & scientia, non ad subitum, sed per profectus quosdam & gradus, pro studijs & intentione ac fide eorum qui ei uel in sapientia, uel in scientia, uel in uirtute participantur, sapientes eos & scientes reddit uigentesq; uirtutibus: ita & in quibus uita uera efficitur, non eis ad summum maturos botros producit & dulces, nec repente eis efficitur uinum suauis & lætificans cor hominis, sed primo producit eis suauitatem tantummodo odoris in florem. Botrus hic florẽs esse memoratur in uineis Engaddi, ut gratia fragrantia ipsius imitatur in initijs animæ, ut post hæc pati possit acerbis tribulationum & tentationum, quæ propter uerbum dei credentibus excitantur: & ita demum maturitatis eius dulcedinem præbet, usq; dum perducatur eos ad torcularia ubi effunditur sanguis uuæ, sanguis noui Testamenti qui bibatur in die festo in superioribus, ubi stratum magnum paratum est. Sic ergo per singulos hos profectus graduum incedere oportet eos, qui per sacramentum uitis, & botrum cyperi initiati, ad perfectionem feruntur, & calicem noui Testamenti ab Iesu susceptum bibere contendunt. Quod si cyperus sui generis arbor accipiendus est, cuius fructus etiã flos non tantum odoris suauitatem, quantum & uim calefaciendi ac fouendi dicitur possidere: illa sine dubio accipitur sponsi uirtus, qua incalescunt animæ erga fidem eius & charitatem, quæ contingebat eos qui dicebant: Nonne cor nostrum erat ardens intra nos, cum adaperiret nobis scripturas? Vel certe quoniam de uineis Engaddi botrus hic florens nominatur esse: Engaddi autẽ interpretat̃ oculus tentationis meæ: si quis est q̃ intellectũ habere potest, quomodo tentatio est uita hominis super terram, & intelligit quomodo quis in deo eripitur à tentatione, & qui agnoscit qualitatem tentationis suæ, ita ut possit de ipso dici, quia in his omnibus non peccauerit labijs suis coram deo, huic botrus cyperi de uineis Engaddi efficitur uerbum dei. Obseruandum tamen est quod uerba sponsæ ita referuntur, ut & nardus & alligamentum guttæ & botrus cyperi ipsi soli sint, utpote quæ in hos iam profectus ascenderit. Sola enim perfecta anima est quæ ita habet purum, & purgatum odorem sui sensus, ut possit nardi & guttæ, & cyperi ex uerbo dei procedentis fragrantiam capere, & gratiam diuini odoris haurire.

## H O M I L I A III

ECCE es speciosa proxima mea: ecce es speciosa: oculi tui columbarum. *Cant. 1*  
 Secundo iam sponsus cum sponsa in uerbo colloquioque misceat. Et primo qui  
 dem sermone inuitauit eam ad hoc ut cognosceret semetipsam, dicens ei quod  
 bona quidem esset inter mulieres, sed nisi cognosceret semetipsam certa queque pateret.  
 Et quasi quae uelociter ad agnitionem sui sensu intellectuque cucurrerit, comparat eam e-  
 quis suis, uel equitatu, quibus obtinuerit currus Pharaonis. Simul et genas eius pro in-  
 signi uerecundia & conuersationis pernicitate turturibus comparat, ceruicemque eius or-  
 namentorum redimiculis. Nunc autem iam speciosam profitetur eam, & speciosam non  
 sic ut prius in mulieribus tantum, sed quasi proximam sibi, & adhuc in maius titulum lau-  
 dis extollit, & affirmat quod non tantum cum proxima est ei, speciosa sit, sed & si con-  
 tingat ei absentem esse, etiam sic speciosa sit. Hoc enim indicatur in eo quod cum dixisset:  
 Ecce es speciosa proxima mea, addit post haec absolute, & sine ulla adiunctione: Ec-  
 ce es speciosa. Sed in superioribus non laudauerat uisum eius, credo quia nondum ad in-  
 titutum profecerat spiritalis intelligentiae: nunc ergo ait: Oculi tui columbarum. Gran-  
 dis in hoc profectus eius ostenditur, ut quae prius tantum speciosa in mulieribus dicta  
 est, nunc ut proxima speciosa dicatur, ex ipso sine dubio sposo splendorē decoris accipiēs:  
 ut semel ab ipso sumpta pulchritudine, etiam si accidat ei paululum sposi absentiam pati,  
 nihilominus pulchra permaneat. Quod autem oculi eius comparantur columbis, ob hoc  
 profecto contingit, quia diuinas scripturas non iam secundum literam, sed secundum spiri-  
 tum intelligat, & aspiciat in eis spiritalia mysteria. Colūba enim indicium est spiritus san-  
 cti. Spiritali ergo sensu intelligere legem et prophetas, hoc est oculos colūbae habere. Et  
 hic quidem colūbae oculi eius appellantur, in psalmis uero huiusmodi anima pennas  
 sibi dari colūbae desiderat, ut uolare possit in intellectum spiritalium misteriorum, & requie-  
 scere in atrijs sapientiae. Sed & si dormire quae possit, hoc est collocari & requiescere in me-  
 dio sortium, atque intelligere sortium rationem, & cognoscere diuini iudicij causas, non solum  
 pennae colūbae quibus in spiritalibus intellectibus uolet, promittuntur ei, sed de argē-  
 tatae pennae, id est uerbi & rationis ornamento decoratae. Scapulae quoque eius in specie  
 auri fieri dicuntur, ubi constantia fidei et dogmatum stabilitas indicatur perfectorum. Ergo  
 si caput esse Christus dicitur, nihil puto absurdum uideri, si et oculi eorum qui secundum  
 interiorum hominum spiritaliter intelligunt, & spiritaliter diiudicant, spiritus sanctus esse  
 dicantur. Et ob hoc fortassis in lege sicut agnus positus est, per cuius hostiam populus pu-  
 rificaretur in pascha: ita & colūbae positae sunt, quibus purificatur homo ingressus hunc *Exod. 12*  
 mundum. Sed & de eo nunc dicere, & hostiarum qualitates discutere, longior uidetur exces-  
 sus, & proposito operi minime conueniens. Haec autem memorasse sufficiat, pro eo quod  
 praesens sermo continet: Oculi tui colūbae. quasi diceret, oculi tui spirituales sunt, spirita-  
 liter uidentes, spiritaliter intelligentes. Potest adhuc profundiore fortassis sacramento quod  
 dixit: Ecce es speciosa proxima mea, intelligi de praesenti seculo dictum: quia speciosa quae  
 de sit & hic ecclesia, cum proxima est Christo, & cum imitatur Christum. Quod uero i-  
 terauit, & dixit: Ecce es speciosa, potest ad futurum seculum pertinere, ubi iam non solum  
 imitatione, sed ipsa sui perfectioe formosa est & speciosa: ut ibi dicat esse oculos eius co-  
 lumbas, ut duorum oculorum colūbae duae intelligantur esse filius dei & spiritus sanctus.  
 Et ne mireris si colūba simul dicatur, cum uterque similiter aduocatus dicatur, sicut Ioan-  
 nes Euangelista declarat, spiritum quidem sanctum dicens paraclitum, quod est aduocatus. *Ioan. 14*  
 Et de Iesu Christo nihilominus in epistola sua dicit, quia ipse sit aduocatus apud patrem  
 pro peccatis nostris. Sed et apud Zachariam prophetam duae oliuae ad dexteram & ad sini-  
 stram candelabri positae, unigenitum nihilominus & spiritum sanctum designare credantur. *Zach. 4*  
 Ecce es bonus fraternus meus, et quidem ecce es speciosus, cubile nostrum umbrosum. Nunc  
 primum uidetur attentius inspexisse sponsi sui pulchritudinem sponsa, et considerasse illis ocu-  
 lis qui colūbae esse dicti sunt, decus & speciem uerbi dei. Quia reuera non potest prius  
 perspicere, nec agnoscere quanta sit in uerbo magnificentia, nisi prius oculos quasi colūbae, id  
 est intelligentiam spiritalem accipiat. Comune autem cubile sibi quod dicit esse cum sposo,  
 corpus hoc mihi uidetur indicari anime, in qua adhuc posita digna habita sit ascisci ad con-  
 sortium uerbi dei. Idcirco umbrosum, utpote non aridum, sed fructuosum memorat, & tanquam  
 densitate

densitate boni operis nemorosum. Sed hæc sponsa dicit, anima duntaxat quæ columbe  
iam oculos habet. Hi uerò qui tantūmodo credunt spōso, non tamen perspicere potue-  
runt in uerbo dei quanta sit pulchritudo, dicunt: Et uidimus eū, & nō habebat speciem,  
*Esa. 53* neq; decorem, sed species eius indecora & deficiens præ filijs hominū. Quæ autē bene  
profecit & supergressa est adolescentularū & octoginta concubinarū, & sexaginta re-  
ginarum ordinē, ista anima potest dicere: Ecce es decorus fraternus meus, & quidē spe-  
ciosus. Sed & si adhuc in corpore positus intelligam dēsitatem spiritaliū sensuum, et in-  
telligētiam scripturarū diuinarum tam crebra opacitate contextā, ut rapidior ætus qui  
multos solet adurere et arefacere fructus eorum, me tamen tenebrare nō possit, nec ulla  
uis tentationū fidei in me germen arefacere, tunc possum dicere, quia cubile nostrū um-  
brosum. Quod autem dicit cubile nostrū, quasi cōmunem sibi cum sponso corporis sui  
indicans esse locū, ad illam similitudinē dictū intellige, qua et Paulus dixit: Quia corpo-  
ra nostra membra Christi sunt. Cum enim dicit corpora nostra, quasi sponsæ id esse cor-  
pus ostendit. Cum uerò mēbra Christi memorat, eadem corpora etiā sponsi esse corpus  
indicat. Hæc ergo corpora si umbrosa sunt (ut superius diximus) bonis dūtaxat operib.  
referta & spiritaliū sensuum densitate cumulata, de his talibus dici potest: Per diē sol nō  
uret te, neq; luna per noctem. Iustum namq; tentationis sol non adurit quiescentē sub  
umbra uerbi dei. Iste enim sol qui adurit iustū, non est damnabilis: sed ille magis qui se  
transfiguratur in angelū lucis. Bonus ergo & decorus dicitur fraternus: & quanto magis in-  
spici potuerit oculis spiritalibus, tanto speciosior inuenitur & pulchrior: quia non solū  
illius species & pulchritudo mirabilis apparebit, uerū & inspicienti atq; intuenti eū de-  
cus ingens & species formæ noua ac mirabilis orietur, secundum illud quod Apostolus  
uerbi dei intuens pulchritudinem dicit: Nam & si is qui foris est homo noster corrupi-  
tur, sed qui intus est renouatur de die in diem. Merito ergo talis hæc anima cōmune ha-  
bet cubile cum uerbo corpus suū. Peruenit enim diuina uirtus usq; ad corporis gratiā,  
quum in eo uel castitatis donum, uel continentiæ, aliorumq; bonorū operum collocat  
gratiam. Considera sanē, ne forte possit etiā illud corpus quod assumpsit Iesus, cōmu-  
ne ei cum sponsa cubile nominari, quoniā quidē uidetur per ipsum ecclesia Christo esse  
sociata, & participium uerbi dei capere potuisse, secundum quod mediator dei & homi-  
*Rom. 5* num dicitur, & secundū quod Apostolus dicit: Quoniā in ipso habemus accessum per  
*Cant. 1* fidem in spe gloriæ dei. Tigna domorū nostrarū cedri, trabes nostræ cypressi. Videtur  
ab sponso responderi ad gratiam eorum quæ dicta fuerunt prius ab sponsa, quibus edo-  
ceat eā cuiusmodi sint tecta ista cōmunia, & qualis in eis materia contignationis habe-  
tur. Hæc habet historica narratio. Videtur autem ecclesia describi à Christo, quæ est do-  
*1. Tim. 3* mus spiritalis, & domus dei, sicut docet Paulus dicens: Si autem tardius uenero, ut scias  
quomodo te oporteat in domo dei conuersari, quæ est ecclesia dei uiuī, colūna & firma-  
mentum ueritatis. Si ergo ecclesia domus dei est (quia omnia quæ habet pater, filij sunt)  
ecclesia domus filij Dei est. Frequenter autem & plurali numero appellant ecclesiā, ut  
*1. Cor. 11* ubi ait: Nos talem consuetudinē nō habemus, neq; ecclesiæ dei. Et iterū, scribit ecclesiis  
*Gal. 1* Galatiæ Paulus, & Ioannes septem ecclesiis. Sunt ergo siue ecclesia uel ecclesiæ, domus  
*Apoc. 1* sponsi & sponsæ, siue animæ uerbi domus, in quibus tigna sunt cedrina. Legimus etiam  
quasdam cedros dei, super quas uinea quæ trāslata est de Ægypto, extendisse dicit tradu-  
ces, siue arbuta sua, sicut ait in psalmis: Operuit montes umbra eius, & arbuta eius ce-  
dros dei. Euidēter igit per hæc ecclesia cedri dei nominat. Cū ergo dicit spōsus: Tigna  
domorū nostrarū cedri, intelligere debemus cedros dei esse eos qui ecclesiā cōtegūt, et  
esse aliquos horū ualidiores qui trabes appellant. Et puto quod cōuenienter hi qui epi-  
scopatū bene ministrant in ecclesia, trabes dici possunt, quibus sustentat & tegitur om-  
ne ædificiū, uel ab imbrīū labe, uel ardoribus solis. Secundo aut horū loco tigna presby-  
teros opinor appellari: & trabes quidē dici cypressos, quibus & fortitudo robustior, &  
odor suauitatis inest, per quod & in operibus solidū, & in doctrinæ gratia fragrantē desi-  
gnat episcopū. Similiter aut tigna cedros appellauit, ut per hoc incorruptiōis uirtutis  
*Cant. 2* & odoris sciētīæ Christi plenos designaret debere esse presbyteros. Ego flos cāpi & lili-  
um conualliū: sicut liliū in medio spinarū, ita proxima mea in medio filiarū. Hæc ille qui  
spōsus et uerbū & sapiētia est, de semetipso & de spōsa ad amicos ac sodales suos loqui  
uidetur

uidetur. Sed secundū propositæ expositionis ordinem Christus hæc de ecclesia loqui intelligendus est, & ipse dicere se florem esse campi & liliū conuallium. Campus planities terræ dicitur, cui cultura adhibet & excolitur ab agricolis. Cōualles uerò saxosa magis & inculta indicant loca. Possumus autem & campū illū intelligere populū qui per prophetas colebatur & legem: conuallem uerò saxosum & incultū gentium locum. Sponsus ergo hic in iudæorum populo flos fuit: sed quoniam neminē ad perfectū adduxit lex, idcirco in illo non potuit uerbum dei ad florem proficere, & ad perfectionē fructuum peruenire. In ista tamen cōualle gentium effectus est liliū, cuiusmodi autē liliū? tale sine dubio quale & ipse in euāgelij dicit, quod pater cœlestis uestit. Et, neq; Solomon in omni gloria sua indutus est sicut unū ex istis. Fit ergo liliū in hac cōualle sponsus, in eo quod uestiuit eum pater cœlestis tali uestimēto carnis, quale nec Solomō in omni gloria sua habere potuit. Nō enim Solomon habuit absq; concupiscentia uiri, et concubitu mulieris immaculatā, & nulli prorsus peccato obnoxia carnem. Sed & causam cur is qui in campo flos fuerat, uoluerit esse in cōuallibus liliū, uideat ostendere. Cum em̄ multo tempore flos fuisset in cāpo, nullū dicit ex ipso campo florem ad imitationē sui ac similitudinē processisse. Vbi uerò factus est in cōuallibus liliū, continuo etiā efficit proxima eius imitatione ipsius liliū: ut opere precium fuerit, quoniā ipse effectus est liliū, ut etiā proxima eius, id est unaquæq; anima quæ ei approximat, & exemplū eius imitationemq; sectatur, liliū fiat. Quod ergo ait: Sicut liliū in medio spinarū, ita proxima mea in medio filiarum, accipiemus ecclesiā gentium dici: quod uel ē medio infidelium & non creditū, quasi ex spinis emerferit, uel pro hæreticorum circumstrepentiū se morsibus in medio spinarum posita dicatur. Quod & magis uidebit uerisimile pro eo quod dicit: Ita proxima mea in medio filiarū. Non enim filias appellasset illas animas, quæ nunq; omnino uenerūt ad credendū. Omnes ergo hæretici primo ad credulitatē ueniūt, & post hæc ab itinere fidei & dogmatū ueritate dei declinant. Sicut et loānes apostolus in epistola sua dicit: Quia à nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Nā si fuissent ex nobis, permanissent utiq; nobiscum. Possumus autem & ad unamquæq; animā id referentes, huic quidem animæ quæ pro simplicitate sui & planicie, uel æquitate cāpus dici potest, florē fieri uerbum dei, & initia bonorum operum docere. His uerò qui profundiora iam quærūt, & de interiora scrutantur, quasi in conuallibus uel pro claritate pudicitia, uel pro fulgore sapientia efficit liliū, ut et ipsi fiant lilia erumpentia de medio spinarum, id est fugientes cogitationes & sollicitudines seculares quæ spinis in euāgelio cōparatæ sunt. Sicut arbor malī inter ligna syluæ, ita fraternus meus inter medium filiorū. In umbra eius concupiui & sedi, & fructus eius dulcis in faucibus meis. Decuit quidem spōsum & de semetipso dicere, quid esset in cāpo, quid etiam in conuallibus: et de sponsa quæ esset, uel qualis inter cæteras filias haberet: Sponsam uerò ad hæc respondentē non conueniebat de semetipsa aliquid dicere, sed affici totam erga admirationē sponsi & ipsius laudib; in hære. Cōparat ergo eum arbori malī. Sed ne ex similitudine sermōis simpliciores aliqui arborem malī malā arborem putent, & à malitia dictam, dicamus nos arborem Meli, græco quidem nomine utētes, sed simplicioribus quibusq; latinorū notiore q̄ malī. Melius est enim ut grammaticos offendamus, q̄ legentibus scrupulū aliquem in ueritatis explanatione ponamus. Cōparat igitur eū arbori meli, sodales uerò eius reliquis arboribus syluæ. Sed sponsum ita arbori huic meli similem dicit, ut etiam concupisse se dicat sub umbra eius sedere, fructumq; eius dulcem sibi effectū in faucibus asseueret. Et hæc ad adolescentulas loqui uidetur, sicut & sponsus locutus est prius ad sodales suos. Sed nunc uideamus secundum mysteriū, quos dicat sponsa filios inter quos tanq; arborem meli precellere reliqua syluæ ligna asserat sponsum: & uide si possumus secundū ea quæ in superioribus de filiabus & spinis dupliciter exposuimus, ita hic etiā filios uel eos qui aliquādo fuerunt, & nō sunt, uel multitudinē cœlestium ministrorū dictos esse intelligere. Ad omnes enim in initio pertinet illud quod scriptū est: Ego dixi dñi estis, & filij excelsi omnes. Sed differētia intercessit per hoc quod ait: Vos autē ut homines moriemini, & sicut unus de principibus cadetis. Sed & illud in hoc respicit, quoniā quis in nubib; æquabit dño: aut quis assimilabit ei inter filios dei? Sicut ergo arbor meli inter reliqua ligna syluæ, sic est spōsus inter reliquos filios, habens fructū qui nō solū sapore omēs, sed & odore præ-

Matt. 6

Cant. 2

1 Ioan. 2

Psal. 82

re præcellat, & duos animæ sensus, id est gustum et adoratam reficiat. Diuersis namq[ue] copijs mensam suam nobis præparat sapientia. In qua non solū panē uitæ apponit, sed immolat carnes uerbi: & non solum miscet in cratere suo uinum, sed & mela odorata satis adhibet & dulcia, quæ non tantum in ore & labijs suauitatem reddant, sed & interioribus tradita faucibus dulcedinem seruent. Possumus autem ligna syluæ accipere eos angelos qui uniuscuiusq[ue] hæreseos auctores fautoresq[ue] uili sunt extitisse. Ita ut uideatur ecclesia comparas suauitatē doctrinæ Christi ad asperitatem hæreticorum dogmatum, ac sterilem infructuosamq[ue] doctrinam dicere: mela quidē suauia & dulcia esse dogmata ecclesiastica, quæ in Christi ecclesia prædicantur: Ligna uerò syluæ esse ea quæ à diuersis hæreticis affirmantur. Et de istis uidebitur infructuosis lignis syluæ dici, quod in euāgelij scriptum est: *Ecce iam securis ad radicē arboris posita est. Omnis ergo arbor quæ nō facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur. Fraternalis ergo sponsa est, ut arbor meli in ecclesia sponsi: cæteri uerò hæresiarum, tãquam infructuosa ligna syluæ diuino iudicio ut securi excidēdi, & in ignem mittendi. Igitur in huius meli umbra concupiscit spōsa residere, uel ecclesia (ut diximus) in protectione filij dei, uel anima refugiens omnes reliquas doctrinas, & adhærens uni soli uerbo dei, cuius etiam dulcē habeat in faucibus fructum, meditando scilicet indefinenter legem dei, & semper eam uelut mundū animal ruminando. Verū de appellatione umbræ istius, sub qua sedere concupiscit se dicit ecclesia, non puto absurdū, si ea quæ inuenire possumus in scripturis diuinis, proferamus in mediū, ut quæ sit umbra meli huius dignius & diuinius agnoscat. At Hieremias in lamētationibus: Spiritus uultus nostri Christus dominus cōprehensus est in corruptionibus nostris, cui diximus, in umbra eius uiuemus in gentibus. Vides ergo quō spiritu sancto permotus Propheta uitā de umbra Christi præberi gentibus dicit. Et quomodo non uitam nobis præbeat eius umbra, quā & in conceptu corporis illius ad Mariam dicatur: Spiritus sanctus ueniet super te, & uirtus altissimi obumbrabit tibi: Si ergo obumbratio fuit altissimi in cōceptu corporis eius, merito umbra eius uitā gentibus dabit. Et merito sponsa eius ecclesia sub meli umbra sedere concupiscit, sine dubio ut uitæ, quæ est in eius umbra, particeps fiat. Reliquorū uerò lignorū syluæ umbra talis est, ut qui sederit sub ipsa, sedere uideat in regiōe umbræ mortis. Sed adhuc ut magis ac magis planior reddatur locus qui habetur in manibus, requiramus quomodo apostolus dicat: Legem umbram habere futurorū bonorū, & omnia quæ uel de diebus festis, uel sabbatis, uel neomenijs scripta sunt, umbram esse memoret futurorum bonorum, in his scilicet quæ secundū literam gerebātur: & quomodo omnem ueterum culturam exemplar & umbrā pronunciet esse cœlestium. Quod utiq[ue] si ita est, ostenduntur sub umbra legis sedisse omnes quicūq[ue] sub lege erant, & umbram magis ueræ legis habebant. Nos autē alieni sumus ab umbra eorum, quoniam non sumus sub lege, sed sub gratia. Sed quāuis non simus sub umbra illa quam legis litera faciebat, sumus tamē sub umbra meliore. In umbra enim Christi uiuimus inter gentes. Et est profectus quidam de umbra legis uenire ad umbrā Christi: ut quia Christus est uita & ueritas & uia, efficiamur primo in umbra uia, & in umbra uitæ, & in umbra ueritatis, ut comprehendamus ex parte, & in speculo ac in enigmate, ut post hæc sic incedamus per hanc uiam, quæ est Christus, quo peruenire possimus in hoc, ut facie ad faciem cōprehendamus ea quæ prius quasi in umbra & in enigmate uideramus. Nō enim quis poterit ad illa quæ uera sunt et perfecta peruenire, nisi prius desiderauerit & concupierit in hac umbra residere. Sed & Iob omnē hominum uitam dicit esse umbram super terrā: credo pro eo quod anima in hac uita uelamento huius crassi corporis obumbratur. Omnes ergo qui in hac uita sunt, necesse est in umbra quadam esse. Sed alij quidem sunt sedētes in regione umbræ mortis, hi profectio qui non credunt Christo. Ecclesia uerò cum fiducia dicit: In umbra sponsi concupiui & sedi quāuis certe fuerit tempus quo potuerit quis sub umbra legis residēs defendi à duritia ardoris & æstus. Sed transit illud tempus, ueniendum est nunc ad arboris meli umbram: & quāuis diuersa quis utatur umbra, uidetur tamen omnis anima donec in præsentia uita est, umbrā habere necessariā, propter illum credo ardorē solis, qui cum exortus fuerit, cōtinuo semē quod non alta radice demersum est, arefcit & deperit. Sed hūc ardorem tenuiter quidem legis umbra propellit: Christi uerò umbra in qua nunc in gentibus*

tibus uiuimus, id est incarnationis eius fides, auertat penitus & extinguet. Ille enim qui adu-  
 rebat ambulantes sub umbra legis, tempore passionis Christi, sicut fulgur uisus est ceci-  
 disse de caelo, quamuis etiam huius umbrę tempus in fine seculi compleatur, quia (sicut  
 diximus) post cōsummationē seculi iam nō per speculum, nec in ænigmatē, sed facie ad  
 faciem uidebimus ueritatem. Simile esse puto et illud quod scriptum est: Sub umbra ala-  
 rum tuarum exultabo. Sed & in sequētib; huius libelli ita dicit spōsa: Fraternalis meus  
 mihi, & ego illi ipsi, qui pascit inter lilia donec respiret dies, & amouēantur umbrę. edo-  
 cens per hoc quod ueniet tempus, quum omnes umbrę remouebūtur, & per misericor-  
 diā dei patebit ueritas sola. Sed & quod ait: Et fructus eius dulcis in faucibus meis, illius  
 animam hoc credo dicere, quæ nihil emortuum, nihil insensibile habet in faucibus suis,  
 & in nullo prorsus similis est illis de quibus dicitur: Sepulchrum patēs est guttur eorū.  
 Quicunq; enim uerba mortis & interitus de faucibus proferūt, ipsorū fauces sepulchra  
 dicuntur: sicut sunt omnes qui uel contra ueram fidem loquuntur, uel cōtra disciplinam  
 castitatis & iustitię & sobrietatis aliquid proferunt. Ipsi ergo sunt quorū fauces sepul-  
 chra sunt & loca mortis, unde mortis uerba proferuntur. Iustus autē dicit: Quam dulciā  
 faucibus meis eloquia tua. Et alius qui uerba uitę docebat, ita dicit: Os nostrū patet ad  
 uos o Corinthij, cor nostrum dilatātū est. Sed & alius qui uerbo dei aperuit os suum, in-  
 quit: Os meum aperui & attraxi spiritū. Introducite me in domū uini. Sponsę uerba  
 adhuc sunt, sed ad amicos & familiares spōsi (ut arbitror) dirīgunt: à quibus uidetur ex-  
 pōscere, ut introducāt eam in domum lætitię, ubi uinum bibitur, & epulę parant. Quæ  
 enim iam uiderat cubiculū regium, desiderat etiam nunc regale introire cōuiuīū, & frui  
 uino lætitię. Suprà iam diximus, amicos sponsi prophetas & omnes qui ministrauerūt  
 uerbū dei ab initio seculi intelligendos, ad quos recte uel ecclesia Christi, uel anima uer-  
 bo dei adhærens dicat, ut se introducant in domū uini, id est ubi sapientia miscuit in cra-  
 tere uinum suum, & deprecatur per seruos suos omnem insipientē & egentem sensu, di-  
 cens: Venite, māducate panes meos, & bibite uinum quod miscui uobis. Ista est domus  
 uini, domusq; conuiuīj, in quo conuiuio omnes qui ueniunt ab oriēte & occidentē, re-  
 cumbent cum Abraham Isaac & Iacob in regno dei. Ad quam domum & ad quod con-  
 uiuium propheta perducunt animas, quæ tamen eos audiunt & intelligunt. Sed & san-  
 cti angeli cœlestesq; uirtutes quæ in ministerio mittunt, propter eos qui hæreditatē ca-  
 piunt salutis. Istud est uinū cui scribunt isti psalmi qui pro torcularibus attitulant. Istud  
 est uinū ex illa uite uindemiātū quæ dicit: Ego sum uitis uera: quod expressit pater cœ-  
 lestis agricola. Istud est uinum quod attulerunt illi palmites, qui in Iesu permanserūt nō  
 solum in terris, sed etiā in cœlis. Sic enim audio illud quod dicitur: Quia omnis palme  
 qui non manet in me, nō potest afferre fructum. Nemo enim producit fructum uini hu-  
 ius, nisi qui permanet in uerbo, & sapiētia, & ueritate, & iustitia, & pace, omnibusq; uir-  
 tutibus. Istud est uinū, quo etiā inebriari iustis, & sanctis quibusque optabile ducitur.  
 Hęc puto & in spiritu iam tunc Noe contuens inebriatus esse dicitur: & Dauid admira-  
 tus huius conuiuīj calicem, dicit: Et poculum tuum inebrians q̄ præclarum est. Ad hęc  
 ergo domū uini ecclesia, uel anima unaquęq; desiderat quæ perfectæ sunt intrare, & do-  
 gmatibus sapientię mysterijsq; sciētia, epularum uelut suauitate, & uini lætitiā perfrui.  
 Sciendū sanē est, quia sicut est istud uinum, quod de dogmatibus ueritatis pressum cō-  
 miscetur in cratere sapientię: ita est contrarium uinum, cum iniquē inebriatur peccato-  
 res, & hi qui falsę scientię dogmata pernicioſa suscipiunt. De quibus Solomon in puer-  
 bijs dicit: Hi autem edunt cibos impietatis, uino autem iniquo inebriant. De hoc eodē  
 uino iniquo etiā in Deuteronomio legimus ita scriptum: Ex uineis Sodomorū uitis  
 eorum, & palmes eorum ex Gomorra, uua eorū uua fellis, & botrus amaritudinis eis, fu-  
 ror draconum uinum eorum, & furor eorum aspidū insanabilis. Illud autem uinū quod  
 de uite uera procedit, nouum semper est. Semper enim per profectus discentiū scientiæ  
 & sapiētia diuinæ innouatur agnitio. Et ideo dicebat Iesus discipulis suis: Quia nouum  
 bibam illud uobiscū in regno patris me. Innouat enim semper agnitio secretorum arca-  
 norūq; reuelatio per sapientiā dei, non solū hominibus, sed & angelis cœlestibusq; uir-  
 tutibus. Ordinate in me charitatē. Eiusdem sponsę ad eosdem uerba sunt, nisi quod pos-  
 sunt fortasse etiā apostoli Christi inter eos haberi, ad quos ista memorant. Quod ergo

ait: Ordinate in me charitatē, hūc habet sensum. Omnes homines amant sine dubio aliquid, & nullus est qui ad id ætatis uenerit ut amare iam possit, & non aliquid amet: sicut etiam in præfatione huius operis sufficienter ostēdimus. Sed hic amor, uel hæc charitas in nonnullis quidem suo ordine & cōuenienter aptata procedit, in plurimis uerò cōtra ordinem. Dicitur autem contra ordinem esse in aliquo charitas, quū aut id diligit quod non debet, aut quod debet diligit, sed plus iusto diligit, aut minus iusto. In isto ergo inordinata esse charitas dicitur: in illis uerò quos ualde paucos arbitror esse, qui scilicet per uiam uitæ incedūt, & nō declinant, neq; ad dextram, neq; ad sinistram, in ipsis solis ordinata est charitas, & ordinē suū tenet. Est autem ordo eius & mensura huiusmodi, uerbi gratia, deū diligere nullus modus, nulla mensura est, nisi hæc sola, ut ei totum exhibeas quantum habes. In Christo enim Iesu diligēdus est deus ex toto corde, & ex tota anima, & ex totis uiribus. In hoc ergo nulla mensura est. Diligere uerò proximū, est mensura aliqua.

*Matt. 22* Proximū, inquit, tuum dilige sicut teipsum. Si ergo aut in dei dilectione minus aliquid feceris quam potes, & quam in uiribus tuis est: aut inter te & proximū tuum nō seruaueris equitatem, sed aliquid differentię habueris: nō est in te charitas ordinata, nec ordinē suum tenens. Verum quoniā nobis sermo de ordine charitatis est, diligentius per singula requiramus, uel quos diligi, uel quantum diligi oporteat. Nā si (ut dicit Apostolus) mēbra alterutrū sumus, puto quod hūc affectum erga proximos habere debeamus, ut eos nō quasi aliena corpora, sed ueluti membra nostra diligamus. Secundum hoc ergo quod membra nostra inuicem sumus, æqualem erga omnes habere dilectionē, similemque cōueniet. Secundū hoc uerò quod sunt in corpore aliqua membra honorabiliora & honestiora, alia uerò inhonestiora & inferiora, puto quod rursus pro mēbrorū meritis & honore, etiā dilectionis librari debeat modus. Si quis ergo rationabiliter cuncta agere secundū uerbū dei, ac suos etiam affectus temperare proponit, puto quod erga hæc singula ordinem charitatis & scire debeat & tenere. Verū ut apertius fiat quod dicimus, paulo euidentioribus utamur indicijs. Si quis (uerbi gratia) laboret in uerbo Dei, atque animas nostras instruat & illuminet, uiam salutis doceat, uiuendique ordinem tradat, nō tibi uideatur & hic proximus esse quidem, sed multo amplius alio proximo diligendus, qui horū nihil egerit. Nam & si ille quidem diligendus est, pro eo quod mēbra unius corporis sumus, uniusque substantię: sed hic multo amplius, qui cū ius proximi nobiscū habeat, quod & cæteri homines habent, dat tamen hanc maiorem charitatis erga se causam, quod uiam dei ostendit, & animæ salutē diuini uerbi illuminationibus confert. Quod si aliquis me errantē, & in præcipitio positū muliebris peccati ad lucem reuocet ueritatis, & de ipso iam interitu eripiat, ac retrahat ad salutē, atque ex ipsis faucibus æternæ mortis eripiat, nō tibi uideatur quod illa ipsa (si fieri potest) plenitudine charitatis qua deū diligimus, diligendus sit post Deum. Et ne putes quod nos ita præsumamus, audi apostolum Paulum de his qui in uerbo Dei laborant, dicentem: Ut superabundanter habeatis in charitate eos qui huiusmodi sunt, propter opus ipsorum. Videamus & alium adhuc ordinem charitatis, eius duntaxat quæ erga proximos haberi uideatur. Si sit non habens quidem docēdi uel instruēdi gratiam, neque uerbum domini prædicandī, sed tamē sanctæ uitæ uir, innocens, immaculatus, & qui in iustificationibus & mādatis Dei ingrediatur sine querela, uideaturne tibi talis hic uir in eodem charitatis ordine habendus, quo ille qui nihil horū agit: quādo quidē uterque proximus dicitur. Nōne & hic propter opus suum, & uitæ meritum (secundum Apostoli dictum) similiter ut ille qui in uerbo Dei laborat, superabundantius habēdus est in charitate propter opus uitæ suæ? Est adhuc alius ordo charitatis.

*Matt. 5* Iubemur enim & inimicos nostros diligere. Sed uideamus si etiā in ipsis unus solus modus erit dilectionis, an ibi habebit locum sermo iste qui dicit: Ordinate in me charitatē. Puto ergo quod in his sit ordo charitatis. uerbi gratia, est aliquis mihi inimicus, in alijs tamen bene agens, pudicus, sobrius, mādatis Dei plurima ex parte custodiēs, in aliquibus tamen errans, ut homo. Est alius qui inimicus quidem sit & ipse nobis, tamē sit suæ uitæ atque animæ inimicus, paratus ad scelera, præceps ad flagitia, nihil sancti, nihil religiosi ducens, non tibi uideatur etiā inter ipsos inimicos quædam diuersitas habenda charitatis. Puto quidem quod ex his satis patuerit, esse uim quidem charitatis unam, multas tamē habere causas, & multos ordines diligendī, & ppter hoc nunc dicere spōsam: Ordinate in me

me charitatem, hoc est docete me diuersos ordines charitatis. Quod si adhuc addendū his aliquid uideretur, possumus & illud in mediū adducere, quod ait Apostolus: Viri diligite uxores uestras sicut corpora uestra, sicut Christus dilexit ecclesiā. Quid ergo debent quidem uiri uxores suas diligere, alias uerò mulieres non debent omnino diligere in omni castitate & sanctitate? An non uidebunt etiā ipsæ esse de proximis? Sed impendenda quidem est dilectio, uel in coniugem, uel in matrem, uel in sororem, si tamen fideles sint, & Deo adhaerentes: & erga aliam mulierem nullā secundū quod ipsa proxima dicitur, est nobis impendenda dilectio. Quod si hoc absurdū uideretur, debet autem secundū mandati ordinē etiā erga eas casta haberi dilectio, prorsus inter ipsas personas foeminarum quibus impendenda dilectio est, habendus profecto est ordo quidā in charitate, conueniensq; distinctio. Et maiori quidē cū honorificentia matri deferenda est dilectio, sequenti uerò gradu cum quadam nihilominus reuerentiā, etiā sororibus. Proprio uerò quodā & sequestrato ab his more charitas cōiugibus exhibēda. Post has uerò personas pro meritis etiam & causis unicuiq; in omni (ut diximus) castitate deferenda dilectio est. Secundū hæc etiam de patre, uel fratre, atq; alijs propinquis obseruabimus. Erga sanctos uerò qui nos in Christo genuerūt, sed & pastores, atq; episcopos, uel qui uerbo Dei præsumt presbyteri, aut qui bene ministrant in ecclesia, uel qui in fide præcellēt cæteros, quomodo nō pro uniuscuiusq; meritis affectio pensabit charitatis lōge eminentior q̄ erga eos haberi potest, qui aut nihil horum, aut nō integre egerunt? Sed & inter parentes fideles & infideles, & fratres fideles ac infideles, sororesq; potēstne fieri ut nō erga hos singulos diuersus ordo habeat charitatis? Quas diuersitates intuens sponsa, & uidens de his omnibus animæ ad perfectionem tendēti necessariam uideri scientiā earū rerū, ut uniuscuiusq; loci & ordinis mensuras possit tenere charitatis, dicit ad amicos sponsi, eos uidelicet qui uerbū Dei ministrant: Ordinate in me charitatē. hoc est docete me, & tradite mihi quomodo per hæc singula ordinem seruare debeam charitatis. Omnes em̄ homines (sicut iam diximus) secundū hoc quod similes nobis sunt, similiter diligendi sunt: imō omnis rationabilis creatura à nobis, utpote rationabilib. æqualiter diligenda est. Adijciendū tamen in charitate est unicuiq; ad hoc quō est, & ad hoc quod rationabilis est: si (uerbi gratia) aut in moribus, aut in opere, aut in proposito, aut in scientia, aut in studijs cæteros præcellit: & pro his singulis secundū suū cuiq; meritum ad generalem dilectionē addendum est etiā specialis aliquid charitatis. Verū ut maior de his habeatur auctoritas, ab ipso Deo capiamus exemplum. Ipse enim amat omnia quæ sunt æqualiter, ut nihil oderit eorum quæ fecit: neq; em̄ fecit aliquid quod odio haberet: nō tamen ob hoc similiter dilexit Aegyptios ut Hebræos, & Pharaonē ut Moysen & Aaron. Nec rursus reliquos filios Israel similiter dilexit ut Moysen & Aaron & Mariā: nec iterum Aaron & Mariā similiter dilexit ut Moysen, quamuis uerum sit ut dicūt ad eum: Parcis autem omnibus, quia omnia tua sunt domine amator animarū. Spiritus enim in corruptionis est in omnibus: tamē ille qui mensura & numero & pondere disposuit omnia, secundū mensuram sine dubio uniuscuiusq; meritorum & dilectionis suæ temperat libram. Nunquid non putabimus quia non similiter ab eo dilectus est Paulus, cum persequeretur ecclesiā dei, sicut diligebatur, dum ipse pro ea persecutiones cruciatusq; tollerabat, & dicebat sibi inesse sollicitudinē omniū ecclesiarum? Multum est nūc, ut inter istos ordines charitatis etiā de affectu odij qui uideretur huic charitatis affectui cōtrarius inferamus, quia etiam dominus dicit: Inimicus ero inimicis tuis, & aduersabōr aduersarijs tuis. Et iterum: Si peccatori tū adlistis, & ei quē odit dominus, amicus es: Quæ utiq; hanc habent absolutionē, quā & illud quod dictum est: Honora patrem tuū & matrem tuam. Et iterū: Qui nō odit patrē, & reliqua. in quo profecto nimietas charitatis in deū his qui aduersantur contrariū uideretur generare affectum, dum nulla potest esse cōsonantia luci & tenebris, & Christo cum Belial, nec eadem portio esse fideli cum infideli. His ergo ut potuimus de charitatis ordinibus expositis, patet ad intelligēdū quid sit qd poscat sponsa, id est ecclesia, uel anima tendens ad perfectionē, præstari sibi ab amicis sponsi. quoniā introduci se poposcerat in domum uini, ubi sine dubio intellexerat in omnib. his quæ uiderat, em̄nere & præcellere grātiā charitatis, & ipsam didicerat maiorē omnium, solamq; esse charitatem quæ nunquā cadet: ideo deposcit ut ordinem eius discat,

Eph. 5

2 Cor. 12

Leuit. 26

2 Paral. 19

Exod. 20

Luc. 14

ne forte aliquid inordinatum faciens uulnus ab ea aliquod accipiat, ut in posteriorib. dicitur: Vulneratae charitatis ego sum. Ea autem siue ad angelos dici accipiamus, à quibus se instrui postulat & muniri, nihil absurdum uidebitur: secundū hoc quod de populo dicitur: Latamini gentes cū populo eius, & confortent eos omnes angeli Dei. Et ut in alijs dicitur: Circumdat angelus domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos. Et itē alibi: Nolite contemnere unum ex minimis istis qui in ecclesia sunt, quia angeli eorū semper uident faciem patris mei qui in cœlis est. Sed & in Apocalypsi Ioānis angelo Thyatirensi testimoniū dat filius dei pro charitate quam ordinauit angelus ipse in ecclesia sibi cōmissa. Sic enim scriptum est: Scio opera tua & charitatem tuam, & fidem, & ministeriū, & patientiā, & opera tua nouissima maiora q̄ priora. Sed & si ad prophetas hęc referamus, qui ministrauerūt uerbum dei ante aduentū sponsi, ut per ipsorū doctrinam uideatur ecclesia uelle ordinem discere charitatis, id est prophetis instrui uoluminib. non uidebitur absurdū. Sed & omnes sancti qui de hac uita decesserunt, habētes adhuc charitatem erga eos qui in hoc mundo sunt, si dicantur curam gerere salutis eorū, & iuuare eos precibus suis, atq; interuentu suo apud deum, non erit inconueniēs. Scriptum nanq; est in Machabæorū libris ita: Hic est Hieremias propheta Dei, qui semper orat p̄ populo. Sed & ad apostolos hęc dici (ut supra iam dixi) non uidebitur alienum: per hos enim omnis ecclesia Dei, uel anima quærens Deum, introducitur in domū uini (ut supra diximus) & aromatibus atq; odoribus repletur, & cōponitur in melius, sicut in posterioribus legimus, & docemur omnē ordinē rationēq; charitatis. Cōfirmate me in unguentis, stipate me in malis, quia uulneratae charitatis ego sum. In Græco quidem habetur: Confirmate me in myrrhis. Myrrhin genus quoddā arboris nominans, quod Latini putātes myrrha dictū, unguēta interpretati sunt. Igit̄ ordo sermonis huiusmodi est: Post eam quam sponsa & uerba ex ore ipsius sponsi audiuit, & cubiculū regis ingressa est, & domum uini locumq; conuiuii ac sapientię, & in eo uictimas & craterem mixtum sacramētis eius aspexit, quasi in horum omnium admiratione stupens, & faucia postulat ab ipsis nihilominus amicis & sodalibus sponsi ut confirmetur, & quasi deficiens sustentetur, incumbens paulum super arborem *μύρρινον*, uel meliam. Amoris enim uulnere percussa arborum solatia, syluarūq; sectatur. Hęc secundū literam. Sed ex his ut exequi possimus intelligentiā spiritalem, indigemus illa gratia quam cōsequi à deo meruit ipse Solomō, qui omnium quæ sunt radicum & arborū & uirgultorum naturas didicit, ut sciremus & nos quæ uis, & quæ natura sit arboris myrrhæ, quo cōpetēter ex hac spiritalis aptari possit expositio. Hoc est autem quod solum peruenire ad nos de huius arboris notitia potuit, quia odorē solū habeat suauē, nullum tamen afferat fructum. Melia uerò arbor notum cunctis est, quod non solum ferat fructum, sed & dulcissimum & suauissimū ferat. Omnes igit̄ homines arbores dicunt, siue bonæ, siue malæ, & fructuosæ, siue infructuosæ, sicut & dominus in Euangelio dicit: Aut facite arborem bonā, & fructum eius bonum: aut facite arborem malam, & fructū eius malum. Et omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidēt, & in ignem mittetur. Tres ergo differentiæ in hominibus uidentur esse. Quidam qui omnino nullum fructū afferunt, & ecce alij qui afferunt. Sed in his qui afferunt, aut mali sunt fructus, aut boni. Hic ergo sponsa (id est ecclesia Christi) confirmari se postulat, & reclinari quidem super unam arborem meliam afferentē fructus bonos: & recte ac cōpetenter. Super his enim confirmatur & stipatur ecclesia, qui in bonis operibus fructificant, & crescunt. Quid autem est quod in myrrhis, infructuosis scilicet arborib. cōfirmari uult odore solo gaudētibus: Ego puto quod istos qui solo odore gaudent, & necdū fructus fidei afferūt, illos dicat quos Paulus ad Corinthios scribēs, dicit: Qui inuocant nomen domini nostri Iesu Christi in omni loco ipsorum & nostrū. Pro eo ergo quod inuocant nomē domini nostri Iesu Christi, habent in semetipsis odoris quandā ex ipsa inuocatione nominis suauitatem. Pro eo uerò quod non cū omni fiducia & libertate accedunt ad fidē, nullos fidei afferunt fructus. In loco hoc possumus nos catechumenos ecclesiæ intelligere, super quos ex parte aliqua cōfirmant ecclesiæ. Habent enim & in ipsis nō parum fiducia, & spei plurimū, quod & ipsi fiāt aliquādo arbores fructifere, & plantent in paradiso Dei ab ipso agricola patre. Ipse em̄ est qui plantat huiusmodi arbores in ecclesia Christi, quæ est paradisos deliciarum. Sicut & dñs dicit: Om-

eit: Omnis plantatio quam nō plantauit pater meus cœlestis, eradicabitur. Stipa ergo Matt. 15  
 ecclesia & inter melias, & super ipsas requiescit. Quæ meliæ illæ putandæ sunt animæ  
 quæ quotidie innouantur ad imaginē eius qui creauit eas. Quia enim per innouationē  
 sui imaginē reparant filij dei, merito & ipsæ arbores meliæ appellant, quia & ipse spon-  
 sus earū in superioribus dictus est, sicut arbor melia esse in lignis syluæ. Et ne mireris si  
 idē ipse & arbor uitæ & diuersa alia dicatur, cū idē & panis uerus, & uitis uera, & agnus  
 dei, & multa alia nominetur. Omnia nanq; hæc uerbū dei unicuiq; efficitur, prout men-  
 sura uel desideriu participatis exposcit: secundū quod & māna, qui cū esset unus cibus,  
 unicuiq; tamē desiderio sui reddebat saporē. Præbet ergo seipsum nō solū esurientibus  
 panem, & sitientibus uinum, sed & deliciari uolētibus, semetipsum & fragrantia exhibet  
 poma. Propterea ergo & spōsa uelut refecta iam & bene pasta, fulciri in melijs se poscit,  
 sciens in uerbo esse sibi non solum omnem cibum, sed & omnes delicias: & per ea maxi-  
 me discurret, dū se uulneratā sentit esse iaculis charitatis. Si quis usquā est qui fideli hoc  
 amore uerbi dei arsit aliquādo, si quis est (ut propheta dicit) qui electi iaculi eius dulce  
 uulnus plagāq; accepit, si quis est qui scientiæ eius amabili cōfixus est telo, ita ut diurnis  
 eum desiderijs nocturnisq; suspiret, aliud quid loqui nō possit, audire aliud nolit, cogi-  
 re aliud nesciat, desiderare præter ipsum, aut cupere aliud uel sperare nō libeat: ista ani-  
 ma merito dicit: Vulneratæ charitatis ego sum: & ab illo uulnus accepi, de quo dicit E-  
 saias: Et posuit me sicut iaculū electū, & in pharetra sua abscondit me. Tali uulnerē decet Esa. 49  
 deū percutere animas, talibus iaculis telisq; configere, ac salutarib. eas uulnerib. faucia-  
 re: ut quia deus charitas est, dicat & ipse: Quia uulneratæ charitatis ego sum. Et quidē in  
 hoc quasi amatorio dramate spōsa charitatis se dicit uulnera suscepisse: potest autē simi-  
 liter feruens anima erga sapientiam dei dicere, quia uulneratæ sapiētīæ ego sum: illa scili-  
 cet quæ sapiētīæ eius pulchritudinē potuit intueri. Potest & alia anima uirtutis eius ma-  
 gnificentiam cōtuens & admirata potentiā uerbi dei dicere, quia uulneratæ uirtutis ego  
 sum. Talis credo aliqua sicut erat illa quæ dicebat: Dominus illuminatio mea & salus Psal. 27  
 mea, quem timebo: Sed & alia anima erga amorem iustitiæ eius feruens, & dispensatio  
 nū ac puidētīæ eius iustitiā cōtuens, dicit sine dubio, uulneratæ iustitiæ ego sum. Et alia  
 bonitatis eius ac pietatis immensitatē respiciens, similia loquitur. Sed & horum omniū  
 generale est istud charitatis uulnus, quo se uulneratā prædicat sponsa. Scendum tamen  
 est, quod sicut sunt ista dei iacula, quæ animæ habētī desideriu bonorum salutis uulnus  
 infligūt: ita sunt & iacula maligni ignita, quibus anima quæ nō est scuto fidei protecta,  
 uulneratur in mortem. De ipsis dicit Propheta: Ecce peccatores intenderunt arcū, pa- Psal. 10  
 rauerūt sagittas suas in pharetra sua, ut sagittēt in obscuro rectos corde. Hic peccatores  
 de occulto sagittantes dæmones inuisibiles dicit: & ipsi sunt habentes quædā iacula for-  
 nicationis, alia cupiditatis & auaritiæ, quibus quamplurimi uulnerantur. Habent etiam  
 spicula iactantiæ uanæ gloriæ: sed ista ualde subtilia sunt, ita ut confixā se anima ab eis  
 fauciatamq; uix sentiat, nisi si induta est armis dei, & stat uigilans & immobilis erga astu-  
 tias diaboli, scuto semetipsam fidei per omnia contegens, & nullā prorsus corporis par-  
 tem fide nudā relinquens. Quanta cumq; aut dæmones fecerint tela, si inueniant mentē  
 hominis fide munitam, etiam si fuerint ignita, etiam si cupiditatū flammis & incēdijs ar-  
 deāt uitiorū, fides plena cuncta restinguit. Leua eius sub capite meo, & dextera eius am- Cant. 2  
 plectetur me. Descriptio est quidem amatorij dramatis sponsæ festinantis ad connubiū  
 sponsi, uelut tamē paulo apertioribus corporis appellationib: currit. Sed cōuerte te ue-  
 locius ad spiritum uiuificantē, & refugiens appellationes corporeas, uere perspice quæ  
 sit uerbi dei læua, quæ sit dextera, quod etiam caput sponsæ eius, animæ scilicet perfectæ,  
 uel ecclesiæ, & non te rapiat carnalis & passibilis sensus. Ipsa enim est hic spōsi dextera  
 & læua, quæ in Prouerbijs de sapientiā dicitur, ubi ait: Longitudo enim uitæ in dextera  
 eius, in sinistra uerò eius diuitiæ & gloria. Et sicut hic sapientiā non ideo aliquā fœminā  
 dici putabis, quia fœmineo nomine appellari uidetur: ita ne in hoc quidem quoniā ma-  
 sculino genere sponsus uerbum dei dicitur, corporaliter intelligere debes leuā eius, aut  
 dexteram, uel amplexus sponsæ, uel animæ pro fœminini generis declinatione percipe  
 re: sed uerbum dei quamuis apud Græcos masculino, apud nos neutro genere proferat,  
 super masculinū tamē & neutrum ac fœmininū genus, & super omne omnino quod ad

hoc respicit, esse cogitanda sunt ista de quibus sermo est: & nō solum uerbum dei, sed & ecclesia eius, atq; anima perfecta, quæ & sponsa nominatur. Sic em̄ & Apostolus dicit:

*Gal. 3* In Christo enim neq; masculus, neq; foemina, sed omnes in ipso unū sumus. Hæc autem propter homines qui aliter audire non possunt, nisi his uerbis quæ in usu habentur, in scriptura diuina humani more referuntur eloquij: ut uerbis quidem notis ea & solitis audiamus, sensu tamen illo quo dignum est de diuinis rebus & incorporeis sentiamus. Nā sicut is qui amatorē dicit se esse pulchritudinis sapientiæ, hoc ostendit quod naturalē qui in se est charitatis affectū ad studia transtulerit sapientiæ: ita & hic spōsa deposcit, uel anima, uel ecclesia, ut sponsus suus qui est uerbū dei, læua quidem sua caput eius sustētet, dextera uerò eius omne eius reliquū complectatur & constringat corpus. Est autē læua in qua sapientiā diuitias continere & gloriā dicit. Quas autē habet diuitias ecclesia, & quam gloriā, nisi illas quas accepit ab eo, qui cum diues esset, pauper factus est, ut illius paupertate ecclesia fieret diues: Quæ autē est gloriā: illa sine dubio de qua dicit: *Ioan. 12* Pater clarifica filium tuum, passionis sine dubio gloriā designans. Fides ergo passionis Christi, gloriā & diuitiā ecclesiæ sunt, quæ in læua eius continētur. Læuā autē puto uerbū dei hoc modo debere intelligi: quoniā quidē sunt in eo quædā dispensationes ante incarnationē gestæ, sunt uerò aliquæ & per incarnationē. Illa pars uerbi dei quæ ante assumptionē carnis in dispensationib. peracta est, dextera pōt uideri: hæc uerò quæ per incarnationem, sinistra appellari. Vnde & sinistra diuitias & gloriā habere dicitur. Per incarnationem nanq; diuitias & gloriā quæsiuit, omniū scilicet salutē. In dextera autē longitudo uitæ esse dicit: per quod sine dubio illa eius pars quæ in principio apud deū deus erat uerbū, sempiternitas indicatur. Hanc ergo læuam ecclesia cuius Christus est caput, optat habere sub capite suo, & fide incarnationis eius caput suum muniri: Dextera uerò eius amplecti, id est illa agnoscere, & de illis instrui, quæ ante huius quoq; per incarnationē gestæ dispensationis tempus in arcanis habent & recōditis. Dextera nanq; ibi putanda sunt esse omnia, ubi nihil de peccatorū miserijs, nihil de fragilitatis lapsu cōtinetur. Hic uerò læua, ubi uulnera nostra curauit, & peccata nostra portauit, factus etiā ipse pro nobis peccatum & maledictū. Quæ omnia quamuis caput & fidem sustentent ecclesiæ, merito tamen sinistra uerbi dei appellabuntur. In quibus aliqua etiā præter illam naturam quæ tota dextera est, & tota lux ac splendor & gloriā, pertulisse memoratur. Adiurauit uos filiæ Hierusalē in uirtutib. & in uiribus agri, si eleuaueritis & suscitaueritis charitatem quoad usq; uelit. Sponsa adhuc ad adolescentulas loquitur, prouocans eas & exhortās, imò & adiurās per ea quæ eis chara esse nouit & amabilia, ut si forte eleuare cœperint charitatem, iacentem quippe in eis, & excitare eā, utpote adhuc dormientem apud eas, intantū eleuent eam, & intantum suscitant, in quantum uoluerit sponsus, nec minus aliquid in ea agant q̄ uoluntas ipsius patitur. Hæc est enim amātis spōsa perfectio, ut à nullo uelit contra animū & uoluntatem eius fieri quem diligit. Et ut hoc non negligēter aut segniter agāt, per uirtutes agri, id est per plātaria & uirgulta quæ in agro sunt, & per uires eius, sine dubio per ea quæ in eo sata sunt, adiurant. Tali ordine, taliq; uerborum compositione textus historici dramatis dirigitur: nūc iam quid arcani intrinsecus contegat, requiramus. Omnis anima præcipue quæ filia est Hierusalē, habet aliquid quem agrum propriū, qui ei secreta quadam per Iesum meritorum sorte delatus est. Si cut fuit & ille ager Iacob, cuius suauitate permotus Isaac patriarcha, mysticis aiebat eloquijs: Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni, cui benedixit dominus. Habet ergo unaquæq; anima (ut diximus) agrū suū, ita nanq; & conuersatio eius, ager est eius. In hoc agro anima quæ diligens & studiosa est, satisfacit & studet plantare bonos sensus, & omnes excolere animi uirtutes: nō solum autē animi uirtutes, sed & uires operum, quibus uidelicet impleri possunt ministeria mandatorū. Est ergo (ut diximus) unicuiq; animus suus ager quem colit & plantat, & seminat secundū hæc quæ diximus. Est autē & omnium simul filiarū Hierusalē unus quidā & cōmunis ager, de quo Paulus ait, dei agricultura estis. Quē agrū cōmune exercitiū ecclesiasticæ fidei & conuersationis accipiamus, in quo certū est uirtutes inesse cœlestes, & uires spiritaliū gratiarū. Vna enim quæq; anima quæ nūc filia Hierusalē hic appellatur, sciens quod matrem habeat Hierusalē cœlestem, cōferat aliquid necesse est ad agrū hūc excolendū, & cœlesti eū possessione dignū cupiat

cupiat effici. In istius ergo agri uirtutibus eleuari charitatem Christi, & excitari ab adolescentulis & initia fidei habentibus protestatur ecclesia, & dicit ad eas: Si leuaueritis & excitaueritis charitatē quoad usque uelit: hoc est, si iam ad hoc ueneritis, ut incipiat agi non spiritu timoris, sed adoptionis, & in hoc p̄feceritis ita ut perfecta in uobis dilectio foras mittat timorē, & ut eleuetis atque exaltetis in uobis charitatē & excitetis eam, tam diu eleuate eam, & tandiu extollite, quā diu ipse uelit filius charitatis, immo ipse qui ex Deo est charitas: ne forte putātes sufficere humanæ charitatis mēsuras, in charitate dei minus aliquid quā deo dignum est, agatis. Mensura enim charitatis hæc sola est, ut tantum quātum ipse uult diligatur: uoluntas autem dei semper eadem est, nec unquā mutatur. Nūquam ergo immutatio aliqua, aut finis ullus in dei charitate recipitur. Notandum sane est, quod non dixit si acceperitis charitatē, sed si leuaueritis: quasi quæ est quidem in uobis, sed iacet & nondum erecta est. Et rursum nō dixit, si inueneritis, sed si excitaueritis charitatē: quasi quæ sit intrinsecus quidē, sed iaceat & dormiat in eis, donec inueniat suscitantem. Ipsam credo & Paulus suscitabat tunc adhuc in discipulis dormientem, cū dicebat: Exurge qui dormis, & continges Christum. Vox fraterni mei. Frequēter nos admonere conuenit quod libellus hic in modum dramatis textitur. Præsens enim uersiculus quē proposuimus, tale aliquid indicat: quod cum sponsæ sermo esset ad adolescentulas filias Hierusalem, subito quasi eminus uocē sponsi senserit, quasi cū aliquibus loquētis: interrupto quē sermone quem faciebat ad adolescentulas, sponsa aurē conuerterit ad auditū qui ad eū peruenerat, & dixerit: Vox fraterni mei. Sponsum uerò intellige primo quidē antequā appareret oculis sponsæ, uoce ei sola agnitum: post hæc uerò etiam cōspectibus eius apparuisse super montes quosdam uicinos illi loco in quo sponsa morabat salientē, & magnis quibusdam nō tam passibus quā saltibus colles mōtesque in modum cerui, uel capræ transcendentē, & ita ad sponsam suam omni cum prope ratione uenientem. Vbi uerò ad domum intra quam sponsa cōmorabatur aduenit, stetit eum paululū intellige post domum ita ut sentiretur quidē adesse, nouidm tamen domū palam uellet & euidenter intrare, sed prius quasi sub amatoris specie per fenestras aspiciere uelle spōsam. Intellige autē retia quædam prope domū sponsæ, aut laqueos esse positos, ut si forte ipsa, uel aliqua sodalium eius ex filiabus Hierusalē aliquando exisset, caperetur. Ad ista uerò retia uenisse spōsum certū est: qui cum capi ab eis nō posset, sed fortior eorū effectus, diruperit ipsa retia, diruptisque eis super ipsa incedēs etiam per ipsa prospexerit: & postquā hoc opus fecerit, dicat ad sponsam. Exurge, ueni proxima mea, sponsa mea, colūba mea: hoc autē dicat ut ipso opere ostendat ei quomodo cū fiducia debeat cōtemnere iam retia quæ ei tetēderat inimicus, nec timeat laqueos quos ab se iam uiderat esse diruptos: & adhuc ut amplius ad se spōsam prouocet festinare, dicat ei: Quia omne tempus quod iam graue uidebat transiit, & hyems quæ ei causa exorta uidebatur, abscessit, pluuieque inutiles abierunt, & tempus iam floridum uenit, nihil moreris iter aggredi ueniendū ad me. ecce enim & agricolæ, quia ueris iam tēpus arrisit, uineas colūt: uox enim tum & aliarū auium, tum etiam sonora & grata turturis uernantis auditur. Sed & ficus de ueris certa temperie germen suū produxit: uites uerò intantū de tēporis tranquillitate non dubitant, ut flores suos iam audeant odoresque proferre. Hæc quidem de tranquillitate tēporis indicat sponsæ, ut maiore cum fiducia arripere iter audeat pergēdi ad sponsum. Sed & locū describit ei, in quo uult eam secū requiescere: & dicit uelamento cuiusdā saxi quod muro ipsi, uel loco promurali contiguū sit, opacissimū quendam effici locum: ad quem uenire eam uult, & ablatō uelamine ibi eius reuelatā faciem contueri, ut facie ad faciem innotescat spōso suo, & non solum faciem eius reuelatam uideat spōsus & liberam, sed & uocem eius ibi audiat, certus iam quod & facies eius pulchra sit, & uox eius suauis ac delectabilis. Hæc autē præuenientes cōiunximus, ne ordinem dramatis, & historiæ textū uideremur interrumpere. Sed præuenientes paululū usque ad illum locum fabulæ ordinem profecuti sumus, ubi ait: Quoniā uox tua suauis, facies tua speciosa. Nunc ergo repetentes uideamus primo quid est quod ait: Vox fraterni mei. Ex uoce sola ab ecclesia sua primo Christus agnoscitur. Primo enim uocem suā præmisit per prophetas, & cū non uideretur, audiebatur tamē. Audiebatur autem per ea quæ annūciabantur de eo: & tandiu sponsa, id est ecclesia quæ ab initio seculi congregabatur, solam uocē eius audiuit, usquequo oculis suis eum uideret, &

Eph. 4  
Cant. 2

Cant. 2

diceret, ecce hic uenit saliens super mōtes, trāsiliens super colles. Saliebat enim super propheticos mōtes, & sanctos colles, illos scilicet qui in hoc mundo imaginē eius formāq; gesserunt. Sed & si in apostolis eum ponas quasi in mōtibus salientem, & eminentē cunctis, & in collibus nihilominus his dūtaxat qui secūdo loco electi ab eo & missi sunt, nō erit inconueniens. In his enim similis efficitur capre, & hinnulo ceruorū. Capre, quōd omnē uisum uisus eius præcellit. Et ceruo, quōd ad interitū serpētis aduenit. Sed & unaquæq; anima (si qua tamen est quæ uerbi dei amore cōstringitur) si quando in disputatione sermonis est posita, ut nouit omnis qui expertus est, quomodo cum in arcum uenit, & angustijs propositionum quæstionūq; concluditur, si quando eam legis ac prophetarū uel ænigmata uel obscura quæq; dicta concludunt, si forte adesse eum sentiat anima, & eminus sonitum uocis eius accipiat, subleuatur statim: & ubi magis ac magis propinquare sensibus eius cœperit, & illuminare quæ obscura sunt, tunc eum uidet salientem supra montes & colles, altæ scilicet & excelsæ sensus sibi intelligentiæ suggerentē: ita ut merito dicat hæc anima: Ecce hic uenit saliens in montibus, trāsiliens super colles. Hæc autē dicimus non immemores quod iam & in superioribus corā positus præsentī collocutus sit sponsa: sed quoniam (ut sæpe diximus) dramatis speciem libellus hic continet, nūc in præsentī dicuntur aliqua, nunc etiam in absentī: & sic agitur immutatio personarum, ut uterq; ordo cōpetenter dirigi uideatur. Quāuis enim promittat sponsus, & dicat ad sponsam suam, qui sunt electi discipuli eius: Quia ecce ego uobiscū sum omnibus diebus usq; ad consummationē seculi: tamē iterū per parabolas dicit, quia paterfamiliās uocauit seruos suos, & unicuiq; distribuit pecuniam negotiandi gratia, & profectus est. Et iterū dicit: Quia abiit petere sibi regnum. Et iterum, quasi de absentē sponso dicitur: Quia media nocte clamor factus est dicentiū, quia uenit sponsus. Sic ergo nunc præsens est sponsus, & docet, nunc absens dicitur, & desideratur: & utrūq; uel ecclesiæ, uel animæ studiosæ conueniet. Cum enim pati persecutiones & tribulationes permittitur ecclesiæ, absens ei uidet. Et rursus cū in pace proficit, & in fide ac bonis operibus floret, præsens ei esse intelligit. Sed & anima cū quærit aliquē sensum, & agnoscere obscura quæq; & arcana desiderat, donec inuenire non potest, absens ei sine dubio est uerbū dei. Vbi uerō occurrit, & apparuerit quod requirit, quis dubitat adesse uerbū dei, & illuminare mentē ac scientiæ lumē ei præbere? Et iterum subduci nobis eum atq; iterum adesse sentimus per singula quæ aut aperiuntur, aut clauduntur in sensibus nostris, Et hoc eousq; patimur, donec tales efficiamur, ut nō solum reuifere nos, sed & manere dignetur apud nos secundū quod interrogatus à quodam discipulo dicente: Domine quid est factū quod incipis nobis manifestare te ipsum, & nō huic mundo? respōdit saluator: Si quis diligit me, uerbum meū custodit, & pater meus diliget eum, & ad ipsum ueniemus, & mansionē apud eum faciemus. Si ergo & nos uolumus uidere uerbū dei atq; animæ sponsum salientem super montes, & exultantē super colles, primo audiamus uocem eius: & cū audierimus eum in omnibus, tunc etiam eum uidere poterimus, secundū ea quæ in præsentī loco uidisse describitur sponsa. Nam & ipsa quamuis & prius eum uiderit, non eum tamē ita uiderat, ut nunc salientem super montes, & exilientem super colles, neq; per fenestras suas procūbentem, neq; per retia prospicientem, sed magis uidetur quod prius hyemis tēpo re eum uiderit. Nūc enim primū dicit ei: Quia hyems trāsit. Igitur, ut res indicat, etiam per hyemem sponsæ suæ apparet, id est tribulationum & tentationum tempore. Sed & alia est illa uisitatio, in qua uisitur paululum, & iterum deseritur, ut probetur ac rursus requiritur, ut caput eius sustentet, & ut tota cōplectatur, ne forte aut in fide titubet, aut corpus eius tentationū pondere prægrauetur. Et ideo uidet mihi hyems fuisse illud tempus, cum caput suum fidei scilicet summitatem laua sponsi cōtineri poscebat, & dextera eius omne corpus amplecti. Nunc autem ista uisio quæ de mōtibus apparet, & collibus, gratiarū puto spiritalium altitudines, potētiasq; designat. Sed & per fenestras quod prospicere dicitur, sensibus mihi lumen uidet præbere. Et retia quæ dirumpit, & conterit, laqueos indicari diabolicos puto, utpote tentationū tempore tanquā hyeme iam peracta. Ostenduntur etiam signa ueris, & ætatis, sicut in Psalmis dictum est: Ætatem & uer, tu fecisti ea. Inde deniq; & flores profectū protulit ecclesiæ, tentationibus superatis, & putationis dispēlatione transacta, sicut in suis locis cū ad hæc differenda uentū fuerit ostendetur

detur, Ecce hic uenit saliens super mōtes, transfiliens super colles. **H**istoricū ordinē iam profecuti sumus: nunc autem quomodo Christus ad ecclesiam ueniens saliat super montes, & exiliat super colles, uidendum est. Exiliēs enim magis quā transfiliens propositi sermonis proprietates habet. Isaac enim ambulans & progrediēs maior fiebat, usq; quo fieret magnus ualde. Paulus autem non iam ambulando profecit, sed currendo, cum dicit: *2 Tim. 4*  
 Cursum cōsummaui. Saluator autem noster & ecclesiae sponsus, neq; ambulare, neq; currere, sed super hęc salire dicitur, & exilire. Si enim cōsideres quomodo parui tēporis spatium occupatum falsis superstitionibus mundū sermo dei percurrit, & ad agnitionem uerę fidei reuocauit, intelliges quomodo saliat super mōtes, magna uidelicet quęq; regna salibus suis superans, & ad recipiendā cognitionē diuinę religionis inclinās: & exiliat super colles cū etiam minora regna uelociter subiugat atq; ad pietatē uerī cultus adducit: & sic de loco ad locum, de regno ad regnū, de prouincijs ad prouincias prædicationis illustratione trāfiliens per eum qui dicebat: Quia ab Hierusalem in circuitu usq; ad Illyricū repleuit Euangelium dei, intelliges quomodo super montes saliens ueniat, & exiliēs super colles. Sed & alio modo potest intelligi, sicut supra iam diximus. Quoniā quidem Moyses de ipso scripsit, & propheta nihilominus de ipso annūciauerunt. Sed & hęc annūciatio in lectione ueteris testamenti uelamen habet superpositū: ubi uerō sponsæ, ecclesie scilicet ad eum conuersæ, ablatum est uelamen, subito uidet eū in istis mōtibus, legis duntaxat uoluminibus salientē, & in collibus scripturę prophetice pro euidētī manifestatione nō tam apparentē q̄ exilientē. uerbi gratia, quasi si reuoluēs singulas prophetice lectionis paginas inueniat de ipsis exilientē Christū, & per loca singula lectionū ablatum nunc demū quo prius tegebatur uelamine, ebullire eū cernat, & emergere atq; euidētī iam manifestatione proiūpere. Ob hoc credo & ipse Iesus cū ad transtōmādum se uenit, nō in aliqua planicie, aut cōualle fuit, sed montē cōscendit, ubi & trāstōmātus est: ut scias eū semper in mōtibus, aut in collibus apparere, & ut te doceat ne usquā eum nisi in legis & prophetarū mōtibus quæras. Quod autē sancti quicq; mōtes appellant, in multis scripturę locis inuenies indicari, sicut ait in Psalmis: Fundamēta eius in montib. sanctis. *Psal. 86*  
 Et iterū: Leuaui oculos meos in mōtes, unde ueniet auxiliū mihi. Auxiliū namq; in tribulationibus, ex scripturarū diuinarū sensibus capimus. Possumus adhuc & mōtes in quibus salire uerbu dei dicitur, & quasi liberius efferrī, nouū accipere testamentū. Colles uerō de quibus quasi diu cōpressus & occultatus exiliit, ueteris testamenti sentire uolumina. Sed & apud Hieremiam uenatores & piscatores qui mittūtur capere homines ad salutem, in mōtibus & collibus eos capere dicuntur: Sic enim ait: Ecce mitto multos piscatores, & multos uenatores, & capient eos super omnem montē, & super omnē collem. *Hier. 16*  
 Quod ego magis ad futurū tempus in consummatione seculi implendum puto, ut cum missi fuerint angeli secundū Euāgelicam parabolam messis tēpore, ut separēt frumenta a zizanijs, qui excelsioris uitę & eminētioris fuerit cōuersationis, iste in montibus inueniatur, aut in collibus. Non inueniēt in humilibus & deiectis locis, ne ibi mixtus uideatur esse zizanijs: sed in excelsioribus sensibus, & in eminētia fidei positus, salienti in montibus uerbo dei, & exilienti in collibus semper adherēs. Quod per aliā nihilominus parabolam, sub eodē tamen intellectu, dicitur in Euāgelio: Si quis in tecto est, non descendat tollere aliquid de domo. Potest adhuc & aliū nobis sensum prædiues iste presentis uersiculi sermo suggerere. Possibile namq; est omnē qui plena fide credit in deū, uel mōtem, uel collem appellari, pro qualitate scilicet uitę & magnitudine intelligētia: etiam si fuerit aliquando uallis, proficiente in eo Iesu ætate, & sapientia, & gratia, omnis uallis implebitur. Superbi autem quicq; & elati ut montes & colles, humiliabunt: quoniam qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur. De ipsis enim dicitur: Qui cōfidunt in domino sicut mōs Sion. & de Hierusalem dicit: Montes in circuitu eius. Vnde puto q; merito etiā saluator noster, quoniā & ipse dicitur lapis de mōte excisus sine manibus, & factus esse mons magnus, sicut rex regum, & pontificū pontifex, potest etiam mons montium appellari. Verum ut etiam tertia expositio habeat locum, ad unamquāq; animam sermo dirigatur. Si qui sint capaciores uerbi dei, qui ab Iesu aquam sibi datam biberunt, & facta est in eis fons aquę uiuę salientis in uitam æternam, in his scilicet in quibus uerbum dei crebris sensibus & copiosis, uelut perennibus ebullit fluentis: in his uitę ac  
 scientiæ

scientiæ & doctrinæ merito mōtibz & collibus effectis, dignissime salire uerbū dei dicitur & exilire, factus in eis per affluentiam doctrinæ fons aquæ uiuæ salientis in uitam æternam. Similis est fraternus meus capreæ, hinnuloq; ceruorū in montibus Berhel. Caprea uel ceruus quod inter munda habeantur animalia, manifeste ex his quæ in Deuteronomio scripta sunt indicat. est enim hoc modo scriptū: Hæc enim sunt animalia quæ mādū cabitis, uitulū, & agnum ex pecoribus, & hircū ex capris, ceruū, & capream, & bubalum, & tragelaphū, & ibicem, camelum, & pardum: Sed & quod sanctus ceruo cōparatur, in multis scripturæ diuinæ locis habet, ut in psalmo, ubi dicit: Sicut ceruus desiderat ad fontes aquarū, ita desiderat anima mea ad te deus. Verūtamen in sermonibus quos ex Deuteronomio assumpsimus, etiā hoc nō negligenter considerandum uidetur, q̄ dignum in animalibus mūdis enumerandis ordinē tenuerit, ut primo uitulū, secundo agnum, tertio hircū scriberet. In his uerò quæ secundū eundem Moysen nō offerūtur ad altare, primo ceruū, secundo capream nominat: & ita post hæc reliqua per ordinē describit animātia. Quorū ratio his quibus abundantior gratia spiritalis in dono scientiæ cōcessa est, per spiritum sanctū manifesta & euidenter fiet. Nobis interim quoniā de ceruo & caprea dicere nunc in expositione præsentis uersiculi incumbit, cōueniens uideat ex scripturis diuinis congregare pro uiribus, quæ de his animalibus referunt, de quibus idem Moyses cū de carnibus loqueret quæ in omni desiderio animæ comederent nō oblatae ad altare: sicut caprea, inquit, & ceruus. Egregiū uerò quid xxviii psalmus, ubi de uirtutibus & efficacia uocis dei per ordinem scribit, de ceruo hoc modo dicit: Vox dñi perficientis ceruos, id est perfectos faciētis ceruos, & reuelabit cōdensa. Sicut enim uox domini intercidere dicitur flammam ignis, & cōcutere desertū, ita perficere ceruos ac reuelare cōdensa memoratur. Sed & in Iob de ceruo ita inuenimus referri, ubi dominus ad Iob per turbinem loquens & nubem ait: Aut ergo obseruasti partus ceruorū, aut numerasti menses eorum plenos ad partū, dolores autem eorum soluisti, aut nutristi eorū natos, aut sine doloribus partus eorū emittes: Abrumpent filij eorum, & multiplicabunt in natiuitate: exibunt, et non reuertent. His adiungēda sunt etiam illa quæ in Prouerbijis legimus hoc modo: Ceruus amicitiarū, & pullus gratiarū loquitur tibi. Hæc interim ad præsens de ceruo nobis scripta occurrere potuerunt. Quæ ob hoc assumpsimus, ut loquamur nō in doctrina humanæ sapientiæ, sed in doctrina spiritus, spiritalia spiritalibus cōparante. Et ideo inuocamus deum patrem uerbi, quod nobis uerbi sui manifestet arcana, sensum q̄ nostrū remoueat à doctrina humanæ sapientiæ, & exaltet atq; eleuet ad doctrinā spiritus, ut nō ea quæ sentit carnalis auditus, sed ea quæ cōtinet uoluntas spiritus sancti loquamur. Paulus apostolus nos docet quod inuisibilia dei ex uisibilibus intelligantur, & ea quæ nō uidentur, ex eorum quæ uidentur ratione & similitudine cōtemplentur: ostendens per hoc quod uisibilis hic mundus de inuisibili doceat, & exēplaria quædam cœlestiū contineat positio ista terrena: ut ab his quæ deorsum, ad ea quæ sursum sunt possimus ascēdere: atq; ex his quæ uidemus in terris, sentire & intelligere ea quæ habentur in cœlis. Ad quorum similitudinē quandam, quo facilius colligi per hæc ac sentiri possent diuersitates, creaturarū quæ in terris sunt similitudinē conditor dedit. Et fortassis sicut hominem deus ad imaginem & similitudinē suam fecit, ita etiam ceteras creaturas ad alias quasdam cœlestes imagines per similitudinē cōdidit: & fortasse intātum singula quæq; quæ in terris sunt, habent aliquid imaginis & similitudinis in cœlestibus, ut etiam granum sinapis quod minimum est in omnibus seminibus, habeat aliquid imaginis & similitudinis in cœlis: & hoc quod talis ei quædam cōposita est alternatio naturæ, ut cum minimum sit omnium seminum, maius fiat omnibus oleribus, ita ut possint uenire aues cœli, & habitare in ramis eius: similitudinē ferat nō solum alicuius cœlestis imaginis, sed & ipsius regni cœlorū. Sic ergo possibile est etiā cætera semina quæ in terris sunt, ut habeant aliquid in cœlestibus similitudinis, & rationis. Quod si semina, sine dubio & uirgulta: & si uirgulta, sine dubio & animātia, uel alitum, uel repentiū, & quadrupedum. Sed & illud adhuc potest intelligi, quod sicut granum sinapis non unam similitudinē tenet regni cœlorū, & habitatio- nis scilicet auiū in ramis suis: sed habet & aliam similitudinē uel imaginē, perfectionis scilicet fidei, ita ut si quis habeat fidē sicut granum sinapis, dicat mōti transferri se, & transferet: ita possibile est ut etiā cætera non in uno aliquo, sed in pluribus speciem & imagi-

nem celestium ferat. Et cum plures sint (uerbi gratia) in grano sinapis uirtutes quæ rerum celestium imagines teneant, ultimus & extremus eius usus est iste, qui habetur apud homines in ministerio corporali. Ita etiã in reliquis, uel seminibus, uel uirgultis, uel herbarum radicibus, uel etiam in animantibus intelligi potest: ut usum quidem & ministerium hominibus præbeant corporale, habeant autem incorporealium rerum formas & imagines, quibus doceri anima possit, & instrui ad cõtemplanda etiam ea quæ sunt inuisibilia & celestia. Et hoc fortassis est quod ille scriptor diuinæ sapientiæ dicit: Ipse enim mihi dedit eorum quæ sunt scientiam ueram, ut sciam substantiam mundi, & uirtutes elementorum, initium, & finem, & medietatem temporum, uicissitudinum permutationes, & cõuersiones temporum, anni circulos, & stellarum positiones, naturas animalium, & iras bestiarum spirituum uiolentias, & cogitationes hominum, differẽtias uirgultorum, & uirtutes radicum: sed & quæcũq; occulta & manifesta sunt cognoui. Vide ergo si possimus ex his scripturæ sermonibus, ea quæ discutere proposuimus, lucidius euidẽtiusq; colligere. Eteĩ scriptor iste sapientiæ diuinæ cũ singula quæq; enumerasset, ad ultimum dixit, quia occultorum, & manifestorum acceperit scientiam: ostendens sine dubio quod unum quodq; eorum quæ in manifesto sunt, referatur ad aliquid eorum quæ in occulto sunt: id est singula quæq; uisibilia habere aliquid similitudinis & rationis ad inuisibilia. Quia ergo impossibile est homini in carne uiuẽti agnoscere aliquid de occultis & inuisibilibus, nisi imaginẽ aliquã & similitudinẽ cõceperit de uisibilibus: ob hoc arbitror, quod ille q̄ omnia in sapientiã fecit, ita creauit unam quancũq; uisibiliũ speciem in terris, ut in his doctrinã quandã & agnitionem rerum inuisibiliũ & celestium poneret: quo per hæc ascēderet mens humana ad spiritalem intelligentiã, & rerum causas in celestibus quæreret, ut posset edoceri per sapientiã dei etiã ipsa dicere: Quæ in occulto sunt, & quæ in manifesto cognoui. Secundũ hæc quoq; agnoscit & substantiã mundi, nõ solum hæc uisibile corporeamq; quæ palam est, sed & illam incorpoream inuisibilem, quæ in occulto est. Agnoscit etiã elemẽta mundi, nõ solũ uisibilia, sed inuisibilia, & utrorũq; uirtutes. Sed & initium quod dicit, & finẽ, & medietatem temporum, initium ait uisibilis quidẽ mundi, quod ante sex milia nõ integros annos initium designat Moyses: medietatẽ quoq; secundũ temporum rationẽ, finemq; illum qui speratur cũ cœlum & terra transibũt. Secundum occultorum uerò scientiam, initium illud quod intelligit is quẽ sapientiã dei docuerit, quod nulla possunt tẽpora, nulla secula cõprehendere. Medietatẽ uerò hæc quæ nũc sunt: Finem uerò ea quæ futura sunt, id est, perfectionem cõsummationẽq; uniuersitatis, quæ tamẽ ex his uisibilibus conijci possunt, & intelligi. Sed & uicissitudinũ permutationes, & temporum conuersiones, & anni circulos, ex his quæ uidentur refert ad inuisibiles rerum incorporealium permutationes ac uicissitudines. Circulos quoq; annorum temporalium, & presentium refert ad antiquiores aliquos ac sempiternos annos, secundũ eum qui dicebat: Et annos æternos in mente habui. Sed & stellarum positiones non dubitauit ab his quæ palam uidentur referre ad illa quæ in occultis sunt, qui occultorum manifestorumq; scientiam meruit: & dicit esse aliquod sanctorum genus quod de Abrahæ præcipue stirpe descēdit, sicut stellas cœli. Sed & resurrectionis futuræ gloriã stellas esse secundum occultorum scientiam pronunciauit, sequens eum qui dixit: Alia gloria solis, & alia stellarum. Stella enim à stella differt in gloria, ita & resurrectio mortuorum. Nisi secundum hæc intelligeretur illud quod ait, naturas animalium, irasq; bestiarum, nunquam dixisset in Euãgelij saluator: Dicite uulpi huic, neq; Ioannes de quibusdam dixisset: Serpentes generatio uiperarum, sed neq; propheta diceret de nõnullis quod equi admissarij facti sunt. Et item alius: Homo cũ in honore esset nõ intellexit, cõparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Sed & ille diligenter agnouit iras bestiarum qui dicebat: Furor illis secundũ similitudinem serpentis, sicut aspidis surde, & obturantis aures suas. Hæc erit ratio etiam de eo quod ait, spirituum uiolentias: uisibiliter quidem de uentis, & flatibus aeris, inuisibiliter uerò de uiolentijs immundorum spirituum loquẽs, quos & Paulus uetos doctrinæ nominauit. Post hæc iam sequitur ut & cogitationes hominum sciat corporaliter quidem quæ de humano corde procedũt, inuisibiliter autem intelligat eos, qui iniiciunt hominibus malas & pessimas cogitationes, sicut in Euãgelio scriptũ est. Cum diabolus misisset in cor Iudæ Ischariotis ut traderet dominum. Et ut in Prouerbijs dicit: Si spiritus potestatis habẽtis ascēderit super te, locũ tuum

1 Cor. 15

Luc. 13

Matt. 3

Psal. 49

Eph. 4

Ioan. 13

Eccl. 10

ne

ne derelinquas, quia sanitas cōpescit peccata magna. Sed & bonarum cogitationum est  
*Psal. 84* aliquis auctor: propter quod & in Psalmis puto scriptū esse: Beatus homo cuius est auxi-  
 76 lium abs te domine, ascensiones in corde suo disposuit. Et iterū: Cogitatio hominis cōfi-  
 tebitur tibi, & reliquā cogitationum diem festum agent tibi. Ita igitur cuncta secundum  
 ea quæ præfati sumus ex uisibilibus referri possunt ad inuisibilia, & à corporalibus ad in-  
 corporea, & à manifestis ad occulta, ut ipsa creatura mundi tali quadā dispensatione con-  
 dita intelligat per diuinam sapientiā, quæ rebus ipsis & exēplis inuisibilia nos de uisibili-  
 bus doceat, & à terrenis nos transferat ad cœlestia. Hæ autē rationes non solum in crea-  
 turis omnibus habent, sed & scriptura diuina tali quadam sapientiæ arte conscripta est.  
 Propter quædam nanq; occulta, & mystica uisibiliter populus educitur de Ægypto ista  
 terrena, & iter agit per desertum, ubi serpens erat mordens, & scorpūs, & sitis, ubi non  
 erant aquæ, & cætera quæ in his gesta referuntur. Quæ omnia (ut diximus) occultorum  
 quorundam formas & imagines tenēt. Et hoc non in scripturis tantū ueterum, sed & in  
 gestis domini, & saluatoris nostri, quæ in Euāgelijis referunt, inuenies. Igitur si omnia quæ  
 in manifesto sunt, secundū ea quæ superius approbauimus, ad aliqua referuntur quæ in oc-  
 culto sunt, cōsequens sine dubio est ut ceruus iste uisibilis, uel caprea quæ in Cātico can-  
 tiorum scribitur, secundū rationē naturæ suæ quam corporaliter gerunt, referantur ad  
 aliquas rerum incorporaliū causas, ut illis occultis & inuisibilibus ceruis uideat posse  
 cōuenire quod dictū est: Vox domini perficientis ceruos. Quæ enim perfectio ex uoce  
*Psal. 28* domini fit istis uisibilibus ceruis? Aut quæ ad eos doctrina unquā ex domini uoce descē-  
 dit? Si uerò spiritales ceruos quæramus, quorū formā & imaginē tenet illud animal cor-  
 porale, illos inuenias ad summā perfectionis ex uoce domini posse perducī. Sed & quo-  
 rū ceruorū dominū seruare decuerit partus, & uelut medēdi officia præbentē parturiēti-  
 bus altare cōuenire, donēc parerent filios tales, qui aduersarent, & persequerent serpē-  
 tium genus, ut dignū est diuina maiestate, debemus aduertere qualium ceruorū domini  
 decet seruare partus, ne in abortum decidāt: sed & menses eorū numerare plenos ad par-  
 tum, eorūq; labores & dolores custodire, ut generationes eorum nō cadant in uanū, sed  
 ut perfecta sit eorū natiuitas, & tādū parturiant donec formetur Christus in eis. Huius-  
 modi ceruorum pullos dominus nutrit, eorum duntaxat qui iactāt in domino cogitatio-  
 nem suam, ut ipse eos nutriat, & ipse seruet dolores partus eorum, cum ex timore dei &  
 in uentre conceperint, & parturierint, & spiritum salutis pepererint. Huiusmodi partus  
 dolores ipse dominus seruat, & curat. Sed & emittit dolores eorū, ut euntes eant, & fleāt  
 portantes semina sua, & sint in doloribus hominum ac flagellentur cum hominibus, ne  
 forte teneat eos superbia. Isti quoq; ipsi cerui abrumpunt (ut ait) natos suos. Quos enim ge-  
 nuerint per Euangeliū, abrumpūt eos à uinculis peccatorū: & à laqueis diaboli, ne ultra  
 uoluntati eorum teneantur obstricti. Isti etiam multiplicabuntur, & (ut ait) nō reuertentur.  
*Gen. 19* Non enim imitabuntur uxorem Loth, nō redibunt retrorsum. Sciunt enim quia qui  
*Luc. 9* mittit manū suam ad aratrū, si retrospecterit aptus nō erit regno cœlorū: sed semper quæ  
 retro sunt obliuiscunt, & in ea quæ ante se sunt se extendunt. Tales enim ceruos uox do-  
 mini facit esse perfectos. Quæ uox domini, nisi illa quæ in lege & in prophetis habet, &  
 peruenit usq; ad Ioannē, qui erat uox clamātis in deserto? Et ipsa enim uox Ioānis, qui di-  
*Esa. 40* cebat: Parate uia domini, rectas facite semitas dei nostri, perfectos faciebat ceruos, ut es-  
 sent perfecti in eodē sensu, & in eadem sciētia. Qui enim talis est, merito dicit: Sicut cer-  
 uus desiderat ad fontes aquarū, ita desiderat anima mea ad te deus. Ceruus quoq; amicitia-  
*Gen. 3* riarū quis alius uidebit nisi ille qui peremit serpentē illū qui seduxerat Euam, & eloquij  
 sui flatibus peccati in eam uenena diffundens, omnē posteritatis sobolē contagio preua-  
 ricationis infecerat: & uenerat soluere inimicitias in carne sua, quas inter deū & hominē  
 noxius mediator effecerat? Pullus uerò gratiarum potest accipi spiritus sanctus, à quo si-  
 tientes, & desiderātes deum spirituales gratias, & dona cœlestia cōsequunt. Hæc autē om-  
 nia à nobis dicta sunt, ut manifestior fieret causa, qua sponsa cōparare uidetur fraternum  
 suum hinnulo ceruorum. Quod si etiā hoc requirēdum est, cur non ceruo (ut in alijs) sed  
 hinnulo ceruorū cōparatur, illud aduerte, quod cū in forma dei esset, filius datus est no-  
 bis, & puer natus est nobis, cuius potestas super humerū eius. Ideo ergo hinnulus ceruo-  
 rum, quia paruulus puer natus est. Et forte possunt cerui accipi sancti quicq; ut Abrahā,  
 Isaac

Isaac, & Iacob, & Dauid, & Solomon, & omnes ex quorū semine Christus secundū carnem descēdit. Quos ceruus uox domini perfectos facit, & ipsorū est hinnulus iste, q̄ ex ipsis secundū carnem natus est puer. Mouet me etiam illud quod in ciiij psalmo scriptum est, ubi ait: Montes excelsi ceruis. Et quidem de ceruis iam superius diximus quod sancti quicq̄ accipiunt, qui ob hoc in hunc mūdum uenerunt, ut serpentis uenena perimerent. Qui autē sint montes excelsi uideamus, quasi qui solis ceruis sequestrati uidentur, & ad quos nisi ceruus sit aliquis non possit ascendere. Ego puto quod personas trinitatis mōtes excelsos appellauerit, ad cuius capacitātē nullus nisi ceruus efficiat, ascēdit. Sed ijdē ipsi qui hic mōtes excelsi pluraliter appellant, in alijs monsexcelsum singulariter dicitur: sicut Esaias ait: In montē excelsum conscende qui Euangelizas Sion. Exalta in fortitudine uocem tuam, qui Euangelizas Hierusalē. Idem nāq̄ ipse qui ibi trinitas propter distinctionē personarū, hic unus deus intelligitur pro unitate substantiā. Satis sint ista de hinnulo ceruorū. Nunc uideamus quomodo etiam caprea uel damulæ comparatur fraternus. Hoc animal quantum ad græca uocabula, nomen à uidēdo atq̄ clarius prospiciēdo sortitum est. Et quis est qui ita uideat ut uidet Christus? Solus nāq̄ est qui uidet, id est agnoscit patrem. Nam etli dicant hi qui mundo sunt corde deum uisuri, uidebūt ipso sine dubio reuelante: quia & caprea habet in natura sua, ut nō solum uideat ipsa & perspiciat acerrime, sed & alijs uisum præbeat. Afferunt nāq̄ hi quibus medicinæ peritiā est, inesse huic animali intra uiscera humorē quendam qui caliginem depellat oculorū, & obtusiores quosq̄ uisus exacuat. Merito ergo caprea uel damulæ Christus cōparatur, quia non solum uidet ipse patrē, sed & uideri ab alijs facit, quorū uisus ipse curauerit. Obserua autē ne audiēs patrem uideri corporeum aliquid sentias, & deum uisibilem putes. Visus quo deus uidetur, nō est corporis, sed mentis, & spiritus. Quod etiam ipse Saluator in Euāgelio uocabulo proprio distinguēs dixit: Nemo uidet patrem nisi filius. Deniq̄ & ijs quos facit Deum uidere, dat spiritum sciētiae, & spiritum sapientiā, ut per ipsum spiritū uideāt deum. Et ideo dicebat ad discipulos: Quia qui me uidet, uidet & patrem. Et utiq̄ non ita inepti erimus, ut putemus quod qui secundū corpus eum uidit, uiderit etiam patrē: alio qui inueniuntur & scribæ, & pharisæi, & hypocritæ, & Pilatus qui eum flagellis cecidit, & omnis populus qui clamabat: Crucifige erucifige eum, uidētes Iesum secundū carnē, etiam deum patrē uidisse. Quod utiq̄ nō solum absurdū uidetur esse, sed & impium. Sicut enim cū turba eum comprimerent eūtem cum discipulis, nullus eorū qui premebāt & coarctabāt eum tetigisse dicitur eū, nisi illa sola que profluuiū sanguinis passa uenit & tetigit fimbriam uestimēti eius, & ipsi soli testimoniū perhibet dicēs: Quia tetigit me alius, ego enim sensi uirtutem de me exisse: ita & cum plures essent qui eum uidebāt, nullus eum uidisse dicit, nisi qui agnouit quod uerbū dei, & filius dei est: in quo utiq̄ simul agnoscī & uideri dicitur pater. Sed & hoc nos non prætereatur, quod prius caprea, & nūc hinnulo ceruorū comparatur, cū utiq̄ maius animal ceruus quā caprea uideatur. Sed animaduerte ne illa potius in his habenda sit ratio: quia cū dupliciter cōstet salus credentium, per agnitionem fidei & operū perfectionē, ratio fidei quæ pro intuitu & inspectione cōtemplationis caprea (ut diximus) comparatur, primus habeatur salutis gradus: secundo uerò in loco operū perfectio quæ cerui formam tenet uincētis & perimentis uenena serpentis, id est artes diabolicas, memoretur. Si ergo sponsa similē dicit esse fraternum suum capreg, uel hinnulo ceruorū in mōtibus Bethel, Bethel uerò domus dei interpretatur, mōtes ergo qui in domo dei sunt, possunt legis & prophetarū, sed & euāgelica & apostolica accipi uolumina, in quibus & fides dei perficitur & contemplatur, & operum perfectio dicitur & adimplet. Ecce hic stetit post parietē nostrū incūbēs super fenestras, prospiciens per retia. Respōdet fraternus meus, & dicit mihi. Cū considero difficultates inuestigandi sensus in his qui propositi sunt scripturæ sermonibus, simile me aliqd pati uideor huic, qui ad inuestigandū uenationē odoratibus sagacis canis pcedit: ubi interdum moris est, ut cū uestigijs intentus proximū se uenator latentibus effectū putauerit esse cubilibus, subito uestigiorū deseratur indicijs, & rursus fixius impressis odoratibus easdē quas explicauerat retrorsum redeat uias, donec inueniat locū in quo se altius excutiēs uenatio latenter ad aliā transtulit uia: quā cum uenator inuenerit, alacrior insequitur spe prædæ certior, & uestigij firmitate securior. Ita ergo & nos ubi se propositæ

explanationis quodammodo subtrahere uestigia, paululum emēsa *repentes*, & *plano*rem  
 quam dudum uidebat expositiois ordinē persequētes, speramus quod dominus deus  
 noster tradat in manus nostras uenationē, quā pręparantes, & secundū scientiam matris  
 Rachel rationabilis uerbi salib. cōdientes, benedictiones mereamur consequi à spiritali  
 patre iacob. Propter quod necessariū uidetur (ut diximus) breuiter dicta repetere, expla  
 nationēq; priorē retexere, ut qui sit lucidior sensus aperiatur. Intelligi ergo mihi uidetur  
 ex initio propositi dramatis spōsam foris stare in biuio, & ob amorē sponsi hinc atq; inde  
 prospicere si forte ueniat, si forte appareat, nec uia ingredi uelle aliquā dū ignorat unde  
 magis ueniat, nec domi, sed foris stare, & desiderio eius agitari ac dicere: *Osculet me o-*  
*sculo oris sui.* ubi aut uenit sponsus, dicat: *Bona sunt ubera tua super uinū, & reliqua,* usq;  
 ad eum locū ubi ait: *Post te curremus.* Post hæc dilecta iam & uicē charitatis ab ipso spō  
 so recipiens, introducatur in cubiculū eius, & dicat: *Introduxit me rex in cubiculū suum.*  
 Sed & cætera quę postea sunt scripta, intus posita loquat ad sponsum præsensibus & as  
 sistentibus spōsæ quidem adolecētulis, sponsi uerò sodalibus. Veruntamen intelligatur  
 sponsus utpote uir, nō semper in domo, neq; semper assidere spōsæ intra domum posite;  
 sed exeat frequenter, & illa eum quasi amore eius sollicita requirat absentē: sed & ipse in  
 terdum redeat ad eam. Propter quod & uideatur per totū libellum aliquando quidē ue  
 lut absens requiri sponsus, aliquando sicut præsens loqui cum sponsa. Ipsa autem sponsa  
 cum multa & magnifica in sponsi cubiculo peruidisset, petit se etiam in domū uini intro  
 duci. Quo cū ingressa perspexisset quod spōsus utpote uir nō resederit in domo, ipsa rur  
 sus amore eius exagitata, exierit foras, & circumiens peragret circa domū nō ingrediēs,  
 & ex omni parte prospiciat quando ad eam redeat spōsus: & ecce subito uideat eum ui  
 cinorū montiū iuga immensis saltibus superantē descendere ad domū in qua amore eius  
 sollicita æstuat sponsa. Perueniens uerò sponsus ad parietem domus, stet paululum post  
 ipsum, cōsiderans (ut fieri solet) aliquid, & animo retractans. Iam uerò etiam ipse sentiēs  
 aliquid amoris erga sponsam, usus altitudine sua, quæ attingit usque ad domus fenestras,  
 quæ fenestræ habeant aliquam partem operis (ut aiunt) reticulati. Et tum incumbat qui  
 dem per fenestras, eminētiōr autem sic sit fenestris, attingatq; usq; ad superiora earū quæ  
 reticulato (ut diximus) opere distinctæ sunt, indeq; prospiciens alloquatur spōsam, & di  
 cat ei. *Exurge, ueni proxima mea, formosa mea, columba mea, & reliqua.* Hæc sunt quæ,  
 ut superius designauimus, difficultatem plurimā dirigendi ordinis, & aperiēde intelligē  
 tiæ habere nobis uisa sunt. Quæ ut puto euidentiora fecerit repetita hæc nūc indago ser  
 monum. Spiritalis autem in his expositio non ita laboriosa ac difficilis habetur. Sponsa  
 enim uerbi anima, quę in domo regali (hoc est in ecclesia) consistit, docetur à uerbo dei,  
 qui est spōsus suus, quæcunq; reposita sunt & recondita intra aulam regiam, & cubicu  
 lum regis: discit in hac domo, quæ est ecclesia dei uiui, cellas etiā uini illius quod de san  
 ctis torcularibus congregatū est: cellas uini non solum noui, sed & ueteris ac suavis, quæ  
 est doctrina legis & prophetarū: in quibus sufficienter exercitata recipiat in se ipsum qui  
 erat in principio apud deum deus uerbū, sed non semper secum permanētem: non enim  
 possibile est hoc humanæ naturæ: sed interdū quidem uisitetur ab eo, interdum uerò re  
 linquatur, ut amplius desideret eum. Cum uerò uisitatur à uerbo dei secundum propositi  
 uersiculi sensum, per montes saliens uenire dicit ad eam: *excelsos scilicet & eleuatos re*  
*uelans ei cœlestis sciētiae sensus, ita ut perueniat usq; ad ædificationē ecclesiæ, quæ est do*  
*mus dei uiui, columna, & firmamentū ueritatis, & stet iuxta parietem, uel post parietem,*  
*ut neq; penitus abscondatur, neq; omnino in promptu sit.* Verbū enim dei, & sermo sci  
 entia nō in publico & palam positus, neq; conculcandus pedibus apparet: sed cum quæ  
 situs fuerit inuenitur, & inuenitur nō (ut diximus) in propatulo positus, sed obreclus, &  
 quasi post parietem latens. Anima aut quæ in ecclesia esse dicitur, nō intra ædificia parie  
 tum collocata intelligitur, sed intra munimenta fidei & ædificia sapientia posita, celsisq;  
 fastigijs charitatis obreclusa. Propositū ergo bonum, & fides rectorū dogmatū animā esse  
 in domo ecclesiæ facit: cuius domus membra quædā sunt, quæ uel cubiculū, uel domus  
 uini, uel alia huiusmodi pro gratiarū scilicet gradibus, & donorū spiritaliū diuersitatibus  
 appellantur. Sic ergo & paries nunc pars quædam domus huius est, quæ potest indicare  
 dogmatū firmitatē: sub qua stare dicitur spōsus, & in quibus tam magnus & excelsus est,

ut emineat omne ædificiū, & prospiciat sponsam, id est animam: & nondū quidem apertum se ei, totūq; manifestet, sed quasi per retia prospiciēs hortetur eam, & prouocet non sedere intrinsecus segnē, sed exire ad se foras: & conari ut non iam per fenestras & retia, neq; per speculū in ænigmate, sed procedens foras facie ad faciem uideat eū. Nunc enim quia nondū potest ita eū intueri, propterea nō ante, sed retro ei & post parietē stet. Incūbit autē per fenestras, quæ sine dubio patebant ad recipiendū lumen ad illuminādā domum. Per has ergo sermo dei incūbens, & prospiciēs prouocat exurgere, & ad se uenire animā. Possumus autē sensus corporeos fenestras intelligere, per quas aut mors, aut uita intrat ad animam. sic enim designat Hieremias propheta cū de peccatoribus loquitur, dicens: *Ascēdit mors per fenestras uestras.* Quomodo ascēdit mors per fenestras? Si oculi peccatoris uideant mulierē, & mœchentur eam in corde suo, sic mors ingressa est ad animam per fenestras oculorū. Sed & cum recipit quis auditū uanū, & præcipue falsæ scientiæ dogmatū peruersorū, tunc per auriū fenestras mors intrat ad animam. Si uerò anima intuēs ornamentū mundi, & ex pulchritudine creaturarū conditorem omnium intelligat deū, & opera eius miretur, laudetq; operū creatorē, ad animam hanc uita ingreditur per fenestras oculorū. Sed & cum auditū inclinat ad uerbū dei, & rationibus sapientiæ ac scientiæ eius delectat, huic per auriū fenestras ad animam sapientiæ lumē ingreditur. Per has ergo fenestras prospiciens uerbū dei, & prospectū suum ad spōsam animā dirigens, assurgere hortatur eam, & uenire ad se, id est corporea & uisibilia relinquere, & ad incorporea & inuisibilia ac spiritalia properare. Quoniā quæ uidentur temporalia sunt, quæ autē nō uidentur æterna sunt. Sic & spiritus dei circūire dicitur, & quærere dignas animas, quæ apte, recteq; fieri possint ad habitaculū sapientiæ. Quod autē per retia fenestrarū prospicere dicitur, illud sine dubio indicat, quod donec in domo huius corporis posita sit anima, nō potest nudam & apertam dei sapientiā capere, sed per exēpla quædam, & indicia atq; imagines rerum uisibiliū illa quæ sunt inuisibilia & incorporea contemplatur: & hoc est prospicere ad eam sponsum per retia fenestrarū. Si uerò de Christo hæc & ecclesia exponamus, domus in qua habitabat ecclesia, scripturæ sunt legis & prophetarū. Ibi enim & cubiculum regis est omnibus diuitijs scientiæ ac sapientiæ repletū. Ibi & domus uini, doctrina scilicet uel mystica, uel moralis, quæ lætificat cor hominis. Adueniens ergo Christus stetit paululū post parietē ueteris testamenti. Stetit enim post parietē, cū nō manifestaret ad populū: ubi uerò affuit tēpus, & cœpit per fenestras legis ac prophetarū per ea scilicet quæ de eo prædicata fuerāt, apparere, & ostēdere se ecclesiæ intra domū hoc est intra literam legis sedēti, prouocat eam inde exire, & uenire foras ad se. Nisi enim exeat, nisi procedat, & progrediatur à litera ad spiritū, nō potest sponso suo cōiungi, neq; Christo sociari. Vocat ergo eā, & inuitat à carnalibus ad spiritalia, à uisibilibus ad inuisibilia, à lege uenire ad Euāgelia. Et ideo dicit ei: *Surge, ueni proxima mea, formosa mea, columba mea.* Et ut aliqua etiā de his quæ postmodū dicenda sunt præueniamus, timentes sensum perdere qui occurrit in hoc loco: propterea fortassis & illud dicit ad eam, quia etiā hyems trāsīit, pluuia abiit: simul & passionis suæ tēpus indicās, quod trāsacta hyeme, & deiectis imbribus ipse passus est: simul & illud quoq; per spiritalem designans intelligentiā, quod usq; ad illud tempus quo Christus passus est, imbres fuerunt super terrā. Mandabat enim adhuc dominus imbribus, scilicet prophetis, ut pluerēt uerbū pluiam super terram. Sed quia usq; ad Ioannem Baptistam prophetica finiūtur officia, merito imbres abiisse, & discessisse dicuntur. Cessarunt autē prophetici imbres non ad damnū credentiū, sed ad maiora ecclesiæ lucra. Quid enim imbribus opus est, ubi flumē dei lætificat ciuitatem: ubi in corde uniuscuiusq; credentiū fons aquæ uiuæ sit salientis in uitam æternam? Quid opus imbribus, ubi iam flores apparuerūt in terra nostra, & ex aduētū domini iam nō excidit ficulnea, quæ prius non attulerat fructum? Nunc enim iam produxit grossos suos. Sed & uineę dederūt odorem suū. Vnde & unus quidā ex ista uinea dicebat: *Quia Christi bonus odor sumus Deo in omni loco in his qui salui fiunt, & in his qui pereunt.* Sed hæc (sicut supra designauimus) anteq; ad ipsa scripturæ loca ueniremus præsumimus, ne forte fugeret nos sensus, qui occurrisse uidebat in tempore: nūc repetamus quomodo per retia prospicere dicat. Scriptū est: *Non enim inique tendunt retia auibus.* Et iterū: *lustus si incurrit in peccatū, effugere iubet, sicut & damula ex laqueis, & auis ex*

Hier. 9

2 Cor. 2

Ecl. 9

retibus. Plena est ergo uita mortaliū laqueis offensionū, retibus plena *deceptionū*, quas tendit aduersum genus humanū ille, qui contra dominū gigas uenator Nemrod appellatur. Verus etenim gigas quis alius est nisi diabolus, qui etiā aduersus deū rebellat. Laquei ergo tentationū, & decipulae insidiarū, diaboli retia appellantur. Et quoniā hec retia ubiq; tetēderat inimicus, atq; in ipsis pene omnes inuoluerat, oportebat esse aliquem qui fortior & eminentior fieret his, & contereret ea, ut sequentibus se uiam posset aperire. Idcirco ergo & Saluator prius q̄ in coniugium & societate ueniret ecclesiae, tēatur à diabolo, ut uincēs retia tentationū per ipsa prospiceret, & per ipsa uocaret eam ad se, docens sine dubio & ostendens ei, quod non per otium & delicias, sed per multas tribulationes & tentationes ueniendū sibi esset ad Christū. Nullus ergo alius fuit, qui retia ista superare potuerit. Omnes enim peccauerunt, sicut scriptū est. Et rursus (ut scriptura dicit) *Rom. 3* Non est iustus super terram, qui fecerit bonum, & non peccauerit. Et iterū: *Eccl. 7* Nemo mundus à sorde, nec si unius diei fuerit uita eius. *Iob. 25* Solus ergo est dominus & Saluator noster Iesus Christus qui peccatū nō fecit: sed peccatū eū pater fecit pro nobis, ut in similitudine carnis peccati, de peccato damnaret peccatū. Venit ergo ad ista retia, sed inuolui in eis solus ipse non potuit: quinimmo diruptis eis, & contritis dat ecclesiae suae fiducia ut audeat iam cassare laqueos, & trāsire per retia, & cum omni alacritate dicere: Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo uenantium: Laqueus contritus est, & nos liberati sumus. Quis autem cōtriuit laqueos, nisi ille qui solus in eis teneri nō potuit? Quamuis & ipse in morte fuerit uoluntarie, & non ut nos necessitate peccati. Solus est enim qui fuit inter mortuos liber. Et quia liber inter mortuos fuit, idcirco deuicto eo qui habuit mortis imperiū, abstraxit captiuitatē quae tenebat in mortē. Et nō solum semetipsum resuscitauit à mortuis, sed & eos qui tenebantur in morte, simul excitauit, simulq; sedere in caelestibus fecit. Ascendens enim in altum captiuā duxit captiuitatē, nō solum animas educens, sed & corpora eorū resuscitans, sicut testatur Euāgelium, quod multa corpora sanctorum resuscitata sunt, & apparuerunt multis, & introierunt in sanctam ciuitatē Dei uiuentis Hierusalem. Hac nobis expositio de retibus secūdo in loco assumpta est. Sit sane legentis iudicium, quae earum mysticis dignius aptari possit eloquijs.

## Homilia Quarta.

VRGE, ueni proxima mea, speciosa mea, colūba mea, quoniam ecce hyems transit, pluuia abiit & recessit sibi, flores uisi sunt in terra, tempus putationis aduenit, uox turturis audita est in terra nostra. Arbor fici produxit germina sua, uites florentes dederunt odorem suum. Quid contineat ordo dramatis iam supra descripsimus, nunc uerò quid uel sermo dei ad animam se dignam, sibiq; aptam, uel quid Christus ad ecclesiam dicere intelligendus sit, aduertamus. Sed interim primus sermo dei loquatur ad hanc speciosam decoramq; animam, cui per sensus corporeos, id est per intuitum lectionis, & per auditum doctrinae, quasi per fenestras apparuit, proceritatēq; suae magnitudinis demonstrauit, ita ut in superioribus ei loqueretur incumbens, atq; inde euocans eam, ut procedat foras, & extra sensus iam corporeos effecta desinat esse in carne, ut merito audiat: Vos autem non estis in carne, sed in spiritu. Non enim aliter diceret eam uerbū dei proximam sibi, nisi coniungeret se ei, & fieret cum eo unus spiritus: nec diceret eam speciosam, nisi uideret imaginem eius renouari de die in diem: & nisi uideret eam capacem spiritus sancti, qui in specie columbae descendit in Iordane super Iesum, non ei diceret: Colūba mea. Cōceperat enim amorē uerbi dei, & cupiebat ad ipsum uolatu celeri peruenire, dicens: Quis mihi dabit pennas sicut columbae, & uolabo, & requiescam? Volabo sensibus, uolabo intellectibus spiritalibus, & requiescam cum apprehendero sapientiae & sciētia eius thesauros. Puto enim quia sicut qui mortem Christi recipiunt, & mortificant mēbra sua super terram, consortes efficiuntur similitudinis mortis eius: ita & hi qui uirtutē spiritus sancti recipiunt, & sanctificantur ex eo, & donis eius replent, quia ipse in specie columbae apparuit, etiam ipsi columbae fiant, ut de terrenis et corporeis locis euolēt ad caelestia pennis sancti spiritus subleuati. Quod sit autē tempus opportunū quo haec fieri possint, cōsequenter inseruit: Quia ecce hyems, inquit, transit, pluuia abiit. Nō enim ante anima uerbo dei iungitur & sociatur, nisi omnis ex ea hyems perturbationum ac uitiorū procella discesserit, & ultra iam non fluctuet, & circumferatur

tur omni uento doctrinae. Vbi ergo ex anima hæc cuncta discesserint, desideriorumque ab eadem tempestas effugerit, tunc incipient in ea flores uernare uirtutum, tunc eius menti & tempus putationis adueniet, & si quid superfluum & minus utile fuerit in eius sensibus uel intellectibus refecabitur, & ad gemmas spiritualis intelligentiæ reuocabitur. Tunc etiam uocem turturis audiet, illius sine dubio sapientiæ quæ dispensator uerbi loquitur inter perfectos, sapientiæ dei altioris quæ abscondita est in mysterio. Hoc namque indicat appellatio turturis. Hæc namque auis in secretioribus, & remotis à multitudine locis uitam transigit, aut deserta montium diligens, aut secreta sylvarum, procul semper à multitudine posita, et à turbis aliena. Quid autem est aliud quod opportunitati temporis huius, amcenitatique conueniat? Ficus, inquit, produxit germina sua. Notandum quidem fructus ipsius spiritus, qui sunt gaudium, charitas, pax, & cætera. Sed iam tamen germina eorum proferre incipit spiritus hominis, qui in ipso est singulariter ficulnea nominatus. Sicut enim generaliter in ecclesia diuersæ arbores singulæ quæque animæ credentium intelliguntur, de quibus dicitur: Omnis arbor quæ non plantauit pater meus cælestis eradicabitur. Et iterum Paulus, qui se dicit ad iutorum dei esse in agricultura dei, ait etiam ipse: Ego plantaui, Apollo rigauit. Sed & dominus in Euangelij, Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum: aut arborem malam, & fructum eius malum. Sicut ergo generaliter in ecclesia singuli quique credentium diuersæ arbores intelliguntur: ita & in unaquaque anima diuersæ uirtutes efficacia eius diuersæ arbores intelliguntur. Est ergo & in anima ficus quædam quæ producit germen suum: est & uitis quæ floreat, & reddat odorem suum. Cuius uitis palmites purgat pater cælestis agricola, ut fructum plurimum afferant. Sed hæc uitis primo per odoris suauitatem quæ ex flore redditur, lætificat odoratum: secundum eum qui dicebat: Quoniam Christi bonus odor sumus deo in omni loco. Hæc ergo initia uirtutum uidens sermo dei in anima, uocat eam ad semetipsum, ut festinet, & exeat: & abiiciens cuncta corporea uenit ad eum, ut perfectiōis eius particeps fiat. Idcirco igitur quasi adhuc iacenti, & in rebus corporeis incubenti primo dicit: Exurge: & quasi quæ statim obedierit, & obsecuta sit uocanti, collaudat ab eo, & audit, Proxima mea & columba mea. Et post hæc ne ad tentationum turbines trepidaret, annunciat ei quod hyems discesserit, & pluuia transierit, & abierit sibi. Bene autem uitiorum & peccatorum naturam uno miro sermone prolato significauit, ut huiusmodi diceret hyemem, & pluuiam, quæ ex uitiorum delicto tempestateque descēdat, sibi abiisse indicans, & per hoc nullam esse substantiam peccatorum. Non enim decidentia de homine uitia ad aliquam aliam substantiam peccatorum congregantur, sed sibi abeunt, & in semetipsa resoluta euanescent, atque in nihilum rediguntur. Et ideo dixit, quia abiit sibi. Fit ergo tranquillitas animæ apparere ei uerbo dei, & cessante peccato: & ita demum florente uinea incipient uirtutes atque arbuta bonorum operum fructum germinare. Sed nunc iterum Christus hæc loquitur ad ecclesiam, & in anni circulum omne præsentis seculi spatium ponit. Et per hyemem quidem illud indicat tempus, in quo uel Ægyptios grando, & turbines ac reliqua decem plagarum uerba flagellabant: uel cum diuersa bella perferebat Israel: uel etiam cum ipsi Salvatore resistit, & incredulitatis turbine correptus, naufragio fidei submersus est. Vbi ergo illorum delicto salus gentibus facta est, uocat nunc ad se ecclesiam, dicitque ei: Exurge, & ueni ad me, quia iam hyems quæ submersit incredulos, & uos in ignorantia reprimebat, abcessit. Sed & pluuia pertransiit, id est iam non madabo nubibus, prophetis scilicet, ut pluam pluuiam uerbi super terras: sed ipsa uox turturis, hoc est ipsa dei sapientia loquetur in terris, & dicit: Ipse qui loquebar adsum. Flores ergo credentium populorum, & orientium ecclesiarum apparuerunt in terra. Sed & putationis tempus per fidem meæ passionis & resurrectionis aduenit. Amputantur enim & execantur ab hominibus peccata, cum in baptismo donat remissio peccatorum. Vox quidem turturis (ut diximus) iam non per diuersos prophetas, sed per os ipsius sapientiæ dei auditur in terris. Et ficulnea germinat, quæ potest in fructibus sancti spiritus accipi, qui nunc primum aperiuntur, & demonstrantur ecclesiæ: uel etiam in littera legis quæ ante aduentum Christi clausa erat & contracta, & indumento quodam intelligentiæ carnalis obtecta. Ex præsentia uero eius & aduentu prolatum est ex ea germen spiritualis intelligentiæ, & sensus uiridis & uitalis qui in ea tegebatur apparuit: ut ecclesia quæ tegebatur à Christo in ficulnea, id est in lege, non appareat arida, nec occidentem litteram sequi, sed florentem, & uiuificantem spiritum. Sed & uites florere dicuntur, & dedisse odorem suum. Possunt quidem & diuer-

ſæ eccleſiæ quæ per orbē terræ habent, uites dici florentes, aut uineæ. Vineæ enim domi  
 ni Sabaoth domus Iſrael eſt, & domus Iuda dilecta nouella. Iſtæ ergo uineæ cū primo ac  
 cedunt ad fidē, florere dicuntur: Cum uerò per religionē operum ſuorū ſuauiſſime adornā  
 tur, odorē ſuum dediffe dicunt: Et nō ſine cauſa puto quod nō dixerit odorem dederūt,  
 ſed odorem ſuū: ut oſtenderet in eſſe unicuiq; animæ uim poſſibilitatis, & arbitrij liberta  
 tem, qua poſſit agere omne quod bonum eſt. Sed quia hoc naturæ bonū præuariatōis  
 occasione decerptū, uel ad ignominiam, uel ad laſciuiam fuerat inflexū, ubi per gratiam repara  
 tur, & per doctrinā uerbi dei reſtituitur, odorē reddit ſine dubio illum, quē primus cōdi  
 tor deus indiderat, ſed peccati culpa ſubtraxerat. Poſſunt autē & uites uel uineæ intelligi  
 uirtutes cœleſtes & angelicæ, quæ hominibus largiuntur odorem ſuū, id eſt doctrinæ &  
 inſtitutionis bonū, quo inſtruunt & imbuunt animas, donec ad perfectionē ueniant, & in  
 Heb. 1 cipiāt capaces fieri dei. Sicut & Apoſtolus ad Hebræos ſcribēs dicit: Nonne omnes ſunt  
 minifteriales ſpiritus in miniſteriū miſſi ppter eos, qui hæreditatē capiunt ſalutis? Et ideo  
 dicunt ab iſtis quali primū florem, & odorē bonorū operū capere homines: ipſos uerò  
 Luc. 22 fructus uitis ab eo ſperare, qui dixit: Nō bibam de generatione uitis huius, donec bibam  
 illud uobiscū nouum in regno patris mei. Illi ergo perfecti flores & fructus ab ipſo ſperā  
 di ſunt: inſtituta uerò & (ut ita dicam) proficiendi ſuauiſſima potēſt à cœleſtibus uirtutibus mi  
 niſtrari, uel certe per eos qui dicebāt (ut ſuprà diximus) quoniam Chriſti bonus odor ſu  
 mus deo in omni loco. Sed & alio modo poſſumus adhuc intelligere hæc quæ habent in  
 manibus, ut dicamus ueluti prophetiam quandam uideri ad eccleſiam factam, per quam  
 uocetur ad repromiſſiones futuras, ut quali poſt cōſummationem ſeculi cum tempus re  
 ſurrectionis aduenerit dicat ei: Exurge. Et quia ſermo hic ſtatim opus reſurrectionis deſi  
 gnat, tanquā ex reſurrectione clarior & ſplēdidior effecta, inuitatur ad regnum, & dicit  
 ei: Veni proxima mea, ſpecioſa mea, columba mea, quia hyems trāſiit: Hyemem ſine du  
 bio huius præſentis uitæ procellas & turbines nominās, quibus humana uita tentationū  
 procellis agitatur. Trāſiit ergo hyems iſta cū pluuijs ſuis, abiit ſibi. Sibi enim unusquiſq;  
 egit in hac uita omne quod egit. Principium uerò repromiſſionū futurarum flores. Secu  
 rim ad radicem arboris poſitam in cōſummationē ſeculi, ut excidat omnē arborē non fa  
 cientem fructum bonū, tempus putationis intellige. Vocem uerò turturis quæ in literis  
 repromiſſionis auditur, quam manſueti in hæreditate ſuſcipient, Chriſti perſonā facie ad  
 faciem, & nō iam per ſpeculū & in ænigmate docentis aduerte. Ficulnea uerò quæ ger  
 men ſuū producit, totius congregationis iuſtorum fructus habeatur. Iſtæ uerò & ſancitæ  
 & beatæ angelicæ uirtutes, quibus electi quiq; & beati ex reſurrectione ſociabuntur, qui  
 erūt ſicut angeli dei, ipſæ ſunt uites florentes & uineæ, quæ odorē ſuum unicuiq; anime,  
 & gratiam quā à conditore ſuſcepit prius, & nūc iterum perditā recuperauit, impertiunt,  
 ſuauiſſimèq; cœleſtis odoris ſœtorē tandem abiectæ ab eis mortalitatis corruptionisq; de  
 pellunt. Surge, & ueni proxima mea, columba mea, in uelaminibus petra iuxta promu  
 rale. Oſtende mihi faciem tuā, & auditam fac mihi uocē tuam, quoniā uox tua ſuauiſſima eſt,  
 & facies tua ſpecioſa: Secundum propoſiti dramatis ordinē ſponſus, qui ſaliēs ſuper mon  
 tes, & exiliens ſuper colles ad ſponſam uenerat, proſpiciens eam, & intuēs per feneltras,  
 ſecūdo iam loco dicit ad eam. Surge, ueni proxima mea, ſpecioſa mea, colūba mea. Nunc  
 uerò addit etiam hoc, ut oſtēderet ei locū ad quē uenire debeat, qui locus ſub uelamēto  
 & tegmine ſaxi ſit poſitus. Sit autē idem locus nō tam iuxta murū, quā iuxta promura  
 le quoddam. Promurale autē dicitur, cū extra muros qui ambiunt ciuitatem, alius ducitur  
 murus, & eſt murus ante murū. Tum deinde quali ſi reuerentiæ cauſa ipſa ſpōſa obreſta  
 ſit & uelata, petit ipſe ſpōſus, ut ueniens ad illū locum quē ſuprà oſtēdit, utpote ſecretio  
 rem, ibi ei quali reiecto uelamine oſtēdat faciem ſuam. Et quia pro multa reuerentiā tace  
 ret ſponſa, deſiderat ſpōſus aliquādo etiam uocē eius audire, & delectari in uerbis eius,  
 & dicit, ut auditam ſibi faciat uocem ſuā. Videtur tamen quod non ei penitus incognita  
 ſit facies eius, neq; uocis eius ignarus ſit, ſed quia interceſſerit aliquid, in quo nec faciem  
 eius uiderit, nec uocē audierit. Iſte ſit propoſiti dramatis textus. Cui & hoc addit, quod  
 ueris tempus agi uideatur, cum & flores apparuiſſe memorantur in terra, & uox turturis  
 perſonare, & germē arbores produxiſſe. Propter hoc uelut opportuno tempore progre  
 di prouocat ſpōſam, quæ ſine dubio hyemē totā intra domus clauſtra reſederit. Sed hæc  
 nullam

nullam mihi uidetur (quantum ad historicam narrationem pertinet) utilitatem cōferre  
 legentibus, aut aliquam saltem narrationis ipsius seruare consequētiam, sicut in cæteris  
 scripturæ historijs inuenimus. Vnde necesse est cuncta ad spiritalem transferre intelli-  
 gētiā. Primo ergo intellige mihi animæ hyemem, cum adhuc passionū fluctibus iactat,  
 & uitiorum procellis ac duris malignorum spirituum flatibus uerberatur. In his positā  
 non hortatur eā sermo dei foras exire, sed intra semetipsam colligi, & uniri undiq; atq;  
 cōtegi contra perniciosos malignorū spirituum flatus. Nulli tūc in diuinis literis studio  
 rum flores apud eam, nec profundioris sapientiæ secreta, & recōdita mysteria quasi per  
 uocem turturis resonant. Sed neq; odoratus eius gratiæ aliquid quasi ex uinæ floribus  
 recipit, neq; uisus eius tanquam in ficulneæ germine delectat, sed sufficit ut in tempesta-  
 tibus tentationū à lapsu peccati tuta ac munita permaneat. Quod si obtinuerit ut illæsa  
 perduret, hyems ei transiit, & uenit ei uer. Ver nanq; ei est, cū quies animo datur, & trā-  
 quillitas menti. Tunc ad eam uenit uerbū dei, tunc eam uocat ad se, & hortatur ut exeat,  
 non solum extra domū, sed extra ciuitatem: id est non solū extra carnis uitia efficiat, sed  
 extra omne quicquid corporeū & uisibile cōtinetur in mundo. Nanq; figuraliter in le-  
 ge ciuitatē iam in superioribus euidenter ostendimus. Euocatur ergo anima extra mu-  
 rum, & usq; ad promurale perducitur, cum abiiciens & relinquens ea quæ uident, & tē-  
 poralia sunt, cōtendit ad ea quæ non uidentur, & æterna sunt. Ostendit ergo ei iter istud  
 sub uelamine petræ agendū, non sub aere nudo, neq; ut patiat solis ardores, ne iterū fuf-  
 ca fiat, ne iterū dicat, despexit me sol: p̄pterea sub uelamine petræ agit hoc iter. Hoc autē  
 ipsum uelamen non uult ex frondibus ei esse aut linteis, aut pellibus, sed petrā uult ei es-  
 se uelamen, id est firma & solida Christi dogmata. Ipsum nanq; esse petram Paulus pro-  
 nūciat dicens: Petra autem erat Christus. Christi ergo doctrina & fide si obtegitur anima  
 & uelet, tuto potest ad illud peruenire secretū, ubi reuelata facie gloriā domini contē-  
 pletur. Merito autem uelamen istud petræ tutum creditur, quia & Solomon de ea dicit  
 in Prouerbijis, quod uestigia serpentis non possunt deprehēdi super petram. Sic em̄ ait:  
 Tria sunt quæ impossibile est mihi intelligere, & quartū quod ignoro, uestigia aquilæ  
 uolantis, & uia serpentis super petrā, & semitas nauis in pelago, & uias uiri in iuuetute.  
 Serpētis ergo, id est diaboli, uestigia, id est signa aliqua peccati, in hac petra quæ est Chri-  
 stus, inueniri non possunt, quia solus est qui peccatū nō fecit. Huius ergo petræ uero ue-  
 lamine anima tuto peruenit ad promuralem locum, id est ad contemplandū incorpora-  
 lia & æterna. De hac eadē petra alia uerbi specie Dauid in xxxix psalmo dicit: Et statuit  
 supra petrā pedes meos, & direxit gressus meos. Nec mireris si apud Dauid petra hæc  
 quasi fundamentū & crepido est animæ, per quam pergit ad deum, & apud Solomonē  
 uelamen est animæ ad mystica sapientiæ secreta tendentis: cum & ipse Christus nūc uia  
 dicat, per quā credentes incedūt, nūc etiam præcursor, sicut ait Paulus: In quod præcur-  
 sor introiuit pro nobis Iesus. Simile est & illud quod per Moysen dicitur à deo: Ecce po-  
 sui te in foramine petræ, & uidebis posteriora mea. Igitur petra ista quæ Christus est, nō  
 est ex omni parte clausa, sed habet foramen. Foramē uerò est petræ, qui reuelat & inno-  
 tescere facit hominibus deū. Nemo ergo uidet patrē, nisi filius: nemo ergo uidet postre-  
 ma dei, id est quæ in postremis temporibus fiūt, nisi positus in foramine petræ, scilicet  
 cū ea Christo reuelate didicerit. Et hic ergo sub uelamine petræ animā p̄ximā sibi effe-  
 ctam inuitat sermo dei ad promuralē locum, sicut supra iam diximus, ad contempla-  
 da ea quæ non uidentur, & æterna sunt, & ibi dicit ad eā: Ostende mihi faciem tuā: pro-  
 fecto ut uideat, si nō aliquid in uultu eius ueteris adhuc uelaminis habeat, sed possit in-  
 trepidis obtutib; gloriā dñi speculari, ut hæc ipsa dicat: Et uidimus gloriā eius, glo-  
 riā tanq; unigeniti à patre, plenū gratiæ & ueritatis. Sed & cū digna fuerit, ut de ipsa dica-  
 tur sicut & de Moysē dictum est, quia Moyses loquebatur, & dominus respondebat ei,  
 tunc cōpletur in ea quod ait: Auditam fac mihi uocem tuam. Ingens uerò laus eius ostē-  
 ditur in eo quod dicitur: Vox tua suauis. Sic enim sapiētissimus p̄pheta Dauid dicebat:  
 Suauis sit ei disputatio mea. Suauis autē est uox animæ, cum uerbū dei quod loquitur,  
 cum fide & dogmatibus ueritatis exponit, cū dispēsationes dei & iudicia eius explanat.  
 Si uerò aut stultiloquiū, aut scurrilitas, aut uanitas de ore eius procedūt, aut uerbū otio-  
 sum, de quo reddenda sit ratio in die iudicij, insuauis & iniocunda uox ista est. Ab hac

1 Cor. 10

Prou. 30

Heb. 6

Exod. 33

Ioan. 6

Ioan. 1

Cant. 2

Psal. 135

uoce Christus auertit auditū suum. Et ideo quęq; perfecta anima ponit ori suo custodiā,  
 & ostium circumstatię labijs suis, ut talem semper sermonem proferat, qui sale cōditus  
 det gratiam audientibus, & dicat de ea uerbum dei, quia uox tua suavis. Sed & facies tua  
 2 Cor. 3 (inquit) speciosa. Si intelligas illam faciem de qua Paulus dicit: Nos autem omnes reue  
 1 Cor. 13 lata facie: & item cum dicit: Tūc autē facie ad faciem: tūc uidebis quę sit animę facies quę  
 laudetur à uerbo dei, & speciosa esse dicat. Illa sine dubio quę quotidie renouat ad ima  
 ginem eius qui creauit eam, quę non habet in se maculā, aut rugā, aut aliquid huiusmo  
 di, sed est sancta & immaculata, qualē & ipse sibi exhibuit Christus ecclesiā, animas scili  
 cet quę ad perfectionē uenerūt, quę omnes simul efficiunt corpus ecclesię. Quod cor  
 pus utiq; pulchrum uidebitur & decorum, si animę ex quibus corpus illud efficit, in o  
 mni perfectionis decore permanserint. Sicut enim cū anima in iracundia est, turbatū &  
 ferum reddit corporis uultum: cum uerò in mansuetudine & tranquillitate persistit, pla  
 cidū mitemq; reddit aspectū: ita & ecclesię facies pro uirtutibus & motibus credentiū,  
 Eccl. 1 aut decora pronunciat, aut turpis, secundū quod & scriptum legimus: Vestigiū cor  
 Prou. 15 dis in bonis, uultus hilaris. Et item alibi: Cordis læti facies florida, in tristitijs aut positi  
 moestus est uultus. Cor ergo lætū est, cū habet in se spiritū dei: cuius primus fructus cha  
 ritas est, secundus gaudiū est. Ex his puto quosdā sapiētes seculi assumpsisse illā sententiā  
 quę dicit, quia solus sapiēs speciosus est, omnis autē nequā turpis est. Superest nobis ut  
 Esā. 26 aliquid apertius etiam de nomine promuralis dicamus. Quod (sicut supra diximus) in  
 dicat murū esse ante murum. quod etiam in Esāia hoc modo dicitur: Pone murū & cir  
 ca murū. Murus munimentū ciuitatis est. Alius uerò murus ante murū, uel circa murū,  
 maiora & ualidiora munimēta designat. Per quod ostendit, quia euocās sermo dei ani  
 mam & educens eam à corporalibus negotijs & corporeis sensibus, docere eā de futu  
 ri seculi mysterijs cupit, & inde ei munimenta cōquirere, ut spe futurorū munita & cir  
 cundata in nullo possit uel illecebris uinci, uel tribulationibus fatigari. Nūc etiā uidea  
 mus quomodo hæc à Christo ad ecclesiā dicatur, quę est proxima ei & speciosa. Spe  
 ciosa autē nulli alij nisi soli ipsi. Hoc enim significat cū dicit, speciosa mea. Hęc ergo exu  
 scitat Christus, & ipsi euangeliū resurrectionis annūciat, & ideo dicit: Exurge, ueni, pxi  
 ma mea, speciosa mea. Quia autē dedit & ei pennas colūbæ, postea q̄ dormiuit in medio  
 fortium: media autē inter duas uocationes Israelis ecclesiā uocata est, quia primo Israel uo  
 catus est, post hæc ubi ipse offendit & cecidit, uocata est ecclesiā gentiū: cū autē plenu  
 do gentiū introierit, tū iterū omnis Israel uocatus, saluabitur: in medio ergo harum dua  
 rum sortium dormit ecclesiā. Et propter hoc dedit ei pennas columbæ deargentatas, quę  
 significat rationabiles pennas in sancti spiritus donis. Et posteriora dorli eius, uel in ui  
 riditate auri, ut quidā legunt, uel ut alij scriptū habēt, in pallore auri. Quod ostēdere po  
 test, quia posterior illa uocatio quę ex Israel futurā dicit Apostolus, non erit in obseruā  
 tia legis, sed in preciositate fidei. Auri nāq; uiriditatis gerit speciem, fides uirtutibus flo  
 rens. Potest autem dici in medio earum sortium dormire, uel quiescere ecclesiā, in me  
 dio duorum testamentorū: & pennæ eius deargentatæ ex sensibus legis. Aurum in po  
 steriōribus dorli eius, intelligi euangelici muneris donū potest. Ad hanc ergo ecclesiā  
 dicit Christus: Veni tu columba mea, & ueni in operimēto petre: docēs eā ut operta ue  
 niat, ne quid patiat ab incurfantibus eam tērationibus, sed sub umbra petre incedat ob  
 tecta dicens: Spiritus uultus nostri Christus dñs, cui diximus: In umbra eius uiuemus in  
 gentibus. Obrecta autē incedit & adoperta, quia debet potestatē habere super caput, p  
 pter angelos. Cū autem uenerit ad promuralē locum, id est ad futuri seculi statū, ibi ad  
 eam dicit: Ostēde mihi faciem tuam, & auditam fac mihi uocem tuam, quia uox tua sua  
 uis est. Auditā uult fieri uocem ecclesię suę, quia qui eum confessus fuerit corā homini  
 bus, & ipse cōfitebitur eum coram patre suo qui in cœlis est. Quia uox tua suavis est. Et  
 quis non fatef suauem uocem ecclesię catholicę fidem uerā confitentis, in suauē uerò  
 & iniucundam esse hæreticorū uocē, qui nō dogmata ueritatis, sed blasphemias in deū,  
 & iniquitatē in excelsum loquuntur: Sic & facies ecclesię speciosa est: hæreticorū uerò  
 turpis & fœda: si quis est tamē qui bene nouerit pulchritudinē uultus pbare, id est si q̄s  
 spiritalis est qui scit examinare omnia. Nā apud imperitos & animales homines pulchrio  
 ra uident mēdacij sophismata, q̄ dogmata ueritatis. Possumus autē adhuc de loco pmu  
 rali

rali etiā hoc addere, quod p̄murale sinus sit patris, in quo positus unigenitus filius, enar-  
 rat omnia & enunciat ecclesie suae quaecunq; in secretis & in absconditis patris sinib. cō-  
 tinentur. Vnde & quidam ab eo edoctus dicebat: Deum nemo uidit unquam. Vnigeni-  
 tus dei filius, qui est in sinu patris, ipse enarrauit. Illuc ergo euocat sp̄s̄am suā Christus,  
 ut & de omnibus eam quae apud patrem habentur, edoceat & dicat: Quia omnia uobis  
 nota feci quae audiui à patre meo: & ut iterū dicat: Pater uolo ut ubi ego sum, illic sit &  
 minister meus. Capite nobis uulpes pusillas exterminātes uineas, & uinea nostrae flore  
 bunt. Secundum dramatis ordinem mutata est persona. non enim iam ad sponsam, sed ad  
 sodales loquitur sponsus, & ipsis dicit, ut capiant uulpes pusillas quae insidiatur uineis,  
 ubi primum germē ostēderint, nec sinūt eas pertuenire ad florē. Capi ergo eas precepit,  
 salutē & utilitatē consulens uinearū. Sed haec, ut cōpimus, spiritali expositione discutiē-  
 da sunt. Et puto quod si de anima haec quae se uerbo dei coniungit, aduertat, uulpes con-  
 trariae potestates & nequitiae demonum intelligi debeāt, per cogitationes prauas & in-  
 telligentiam peruersam exterminātes in anima uirtutū florem & fructum fidei perimē-  
 tes. Prouisio igit uerbi dei qui est dominus uirtutū, mādat angelis suis qui ad ministe-  
 rium missi sunt, propter eos qui hereditatem capiūt salutis, ut capiant ex unaquaq; ani-  
 ma huiusmodi cogitationes à dæmonib. immittas, ut abiectis eis possint florem uirtutis  
 afferre. Capiant autem cogitationes malas in eo, cū suggerūt menti non esse eas à deo,  
 sed esse à maligno spiritu, & dant animae discretione spirituum, ut intelligat quae sit cogi-  
 ratio secundū deū, & quae sit ex diabolo. Vt autem scias esse cogitationes quas immittit  
 diabolus in cor hominū, uide in Euāgelio quod scriptum est: Cum autem immisisset, in-  
 quit, diabolus in cor Iudae Ischariotis ut traderet eū. Sunt ergo huiusmodi cogitationes  
 quae à dæmonibus inijciūtur in cordibus hominū. Sed quia non deest diuina prouiden-  
 tia, ne forte per huiusmodi importunitatem turbaretur libertas arbitrij, & nō esset iusta  
 causa iudicij, idcirco benignis angelis & amicis potestatibus hominū cura mādatur, ut  
 cum deceptores quasi uulpes incurfare cōperint hominem, dextris eum auxilijs suble-  
 uent. Et ideo dicitur, Capite nobis uulpes pusillas, Comperēter sanē cum adhuc pusillae  
 sunt, capi eas mādat & comprehendī. Dum enim cogitatio mala in initijs est, facile potest  
 abijci à corde. Nam si frequēter iteretur, & diu permaneat, adducit animam sine dubio  
 ad consensum: & post consensum intra cor suum confirmatum, certū est quia ad peccati  
 tendat effectū. Dum ergo in initijs est, & pusilla est, capi debet & abijci, ne si adulta fue-  
 rit & inueterata, iam non possit expelli. Deniq; & Iudas initiū mali habuit in amore pe-  
 cuniae, & haec fuit illi uulpes pusilla. Sed & ab hac cum uideret dominus Iudae animam  
 quasi florentē uinea ladi, capere eā uolēs, & abijcere ex eo, cōmisit ei pecuniae loculos,  
 ut possidens quod amabat, à cupiditate cessaret. Sed ille utpote habens sui arbitrij liber-  
 tatē, non est amplexus medici sapientiā, sed indulgit semetipsum illi magis consilio quo  
 exterminabatur anima sua, quam quo sanabat. Si uerò haec de Christo & ecclesia intelli-  
 gamus, sermo uidebit ad ecclesiae doctores dirigi, & mādari eis de captione uulpis ex-  
 terminantiū uineas. Vulpes aut peruersos doctores haeticorū dogmatū possumus in-  
 telligere, qui per argumentorū calliditatē seducūt corda innocentū, & uineam domini  
 extermināt ne floreat in fide recta. Datur ergo praceptum doctoribus catholicis, ut dū  
 adhuc pusillae sunt istae uulpes, & nondū plures animas deceperūt, sed initiū habet praua  
 doctrina, arguere hos & refrenare festinent, & uerbo ueritatis contradicentes reuince-  
 re, & capere hos assertionibus ueris. Si enim permāserint in principijs, & indulserint, ser-  
 mo eorum sicut cācer serpit, & fiet insanabilis: ut multi inueniant qui decepti ab eis pu-  
 gnare iam pro ipsis incipiāt, & defendere suscepti erroris auctores. Sic ergo pusillas di-  
 gnū est uulpes capere, & dolosa hereticorū sophismata in ipsis statim initijs ueris asser-  
 tionib. confutare. Vt aut utriusq; expositionis nostrae euidentior clarescat assertio, cōgre-  
 gemus ex diuinis uoluminib. sicubi animalis huius mentio facta est. Inuenimus ergo in  
 sexagesimo secundo psalmo de impijs ita dici: Ipsi uerò in uanū quæsierunt animā meā,  
 introibunt in inferiora terrae, tradēt in manus gladij, partes uulpis erūt. Sed & in Euan-  
 gelio secundum Mattheū saluator ad scribā qui dicebat ei: Magister, sequar te quocūq;

Ioan. 1

Ioan. 13

Matt. 8

eos qui dixerunt domino: Exi, & uade hinc, quia Herodes uult te occidere, respōdit le  
 Luc. 13 sus: Euntes dicite uulpi huic: Ecce ego eijcio demonia, & sanitates perficio hodie & cra  
 stina, & in die tertia cōsummabor. In libro quoq; Iudicum, Sampson cum uxor quę erat  
 Iud. 15 ex genere Phylistinorū, ei fuisset ablata, ait ad patrem eius: Innocēs sum ego hac uice ab  
 Allophylis, quia faciam uobiscum mala. Et abiit Sampson, & accepit trecētas uulpes, &  
 accepit lampades, & ligauit caudam ad caudā, & posuit lampadē unam inter duas cau  
 das uulpiū, & accendit ignem in lampadibus, & emisit eas per messes Allophylorū, &  
 incendit omnes messes eorum & stipulas eorū, & uineas eorū, & oliuera eorum. Adhuc  
 autem in secūdo libro Esdrę, ubi Tobias Ammanites impediuit ædificationē eorū qui  
 de captiuitate redierant, ut ædificarent templum & murum, ait ad Allophylas: Nūquid  
 isti sacrificabunt, aut comedent immolata in hoc loco? Nōne ascendent uulpes, & de  
 struent murum ipsorū, quē ex lapidibus ædificāt: Hęc sunt interim quę ad præsens no  
 bis ex scripturis diuinis occurrere potuerunt, in quibus animalis huius memoria facta  
 est, ut ex his sapiens quisq; lector prudenter possit conijcere, si apta uel sumus expositio  
 ne in his quę proposita sunt nobis, ad explanandū id quod ait: Capite nobis uulpes pu  
 fillas. Et quāuis operosum sit singula quę exēpli causa assumpsimus explanare, tñ quę  
 poterimus, breuiter cōtingemus. Et primo de sexagesimo secūdo psalmo uideamus, ubi  
 cum iusti animā persequerentur impij, ille psallebat, dicēs: Ipsi autē in uanum quæsierūt  
 animā meam, introibūt in inferiora terrę, tradentur in manus gladij, partes uulpiū erūt.  
 In quo utiq; ostēdit quod uanis & inanibus uerbis prauī doctores decipere uolētes ani  
 mam iusti, introire dicūt in inferiora terrę, terram utpote sapientes, & de terra loquē  
 tes, atq; in inferiora eius, id est in profundū stultitię descendētes. Puto enim quod hi qui  
 carnaliter uiuūt, quia sibi ipsis tantūmodo nocent, terra esse & in terra habitare dicunt.  
 Hi uerō qui terrenis & carnalibus sensibus scripturas intelligunt, & alios ita docēdo de  
 cipiunt, pro eo ipso quod argutias quasdā & argumēta carnalis & terrenę sapientię cō  
 fingant, in inferiora terrę dicuntur ingredi: uel certe quia grauius delinquant qui terre  
 na docent, q̄ qui ita uiuunt, eis futura pœna etiā grauior imminet: ijdemq; ipsi in manus  
 gladij tradendī prophetantur, illius fortassis flammei & uersatilis. Quomodo autē & par  
 tes uulpiū fiant, uideamus. Omnis anima aut pars est dei, aut pars est cuiuscunq; q̄ ac  
 Deut. 32 cepit potestatem super homines. Nā cum diuideret altissimus gentes, & dispergere fil  
 ios Adam, statuit fines gentium secūdum numerum angelorum dei, & facta est portio  
 domini iacob. Cum ergo constet unamquāq; animā aut in parte dei, aut in parte esse al  
 terius cuiuslibet, quoniam quidem per arbitrij libertatem possibile est unūquenq; ex par  
 te alterius transire, uel ad partem dei si melius ipso iuuante elegerit, uel si nequius ad dæ  
 monū portionē, hinc horum mentio habetur in psalmo: Qui in uanum quæsierunt ani  
 mam iusti, partes erunt uulpiū. ueluti si diceret & pessimorum & nequissimorū dæmo  
 num partes erunt: ut unaquæq; maligna uirtus & dolosa, per quam deceptiones & frau  
 des falsę scientiæ introductę sunt, figuraliter uulpes appellent: & hi qui in hunc errorē  
 deducuntur, & nolūt acquiescere sanis sermonibus domini nostri Iesu Christi, & doctri  
 nę quę secūdū pietatem est, sed decipi se patiuntur à talibus, isti talium partes uulpiū  
 fient, & introibunt cum eis in inferiora terrę. Ipsi sunt & illi in quibus secūdū Euange  
 lium uulpes istę quas supra memorauimus, foueas habere dicuntur, in quibus filius ho  
 minis nō habet, ubi caput suū reclinet. Herodem quoq; uulpem nominatū pro fallaci  
 calliditate credēdum est. Nā de Sampson qui trecentas uulpes cepisse, & colligasse per  
 caudas, atq; interiecisse lampades ardentes in medio caudarū, atq; immisisse per messes  
 Allophylorum, & incendisse eas cum stipulis & oliuetis uineisq; memorat, ualde mihi  
 difficilis formę huius uel figurę uidetur explanatio. Tentemus tamē aliqua ex his pul  
 sare p uiribus, & ponamus, sicut expositio nostra in superiorib. cōtinet, uulpes esse fal  
 laces, puerulosq; doctores. Hos Sampson qui uerū & fidelis imaginē tenet doctoris, ca  
 piēs uerbo ueritatis, caudā ad caudā colliget, id est aduersantes sibi, & diuersa à se inui  
 cem sentientes docentesq; cōfuter, atq; ex ipsorum uerbis, ppositiones collectionesq;  
 accipiens, in Allophylorū segetem ignem cōclusionis emittat, & ex proprijs eorū argu  
 mentis omnes eorū fructus atq; uineas & oliueta pessimę generationis incēdat. Sed &  
 ipse numerus trecentarū uulpiū quę à semet ipsis diuersę & dissonātes erant, triplicē  
 formam

Sampson uulpes

formam indicant peccatorū. Omne enim peccatum aut in facto, aut in uerbo, aut in cōsensu mentis admittitur. Verum ne illud quidem quod in secundo libro Esdræ scriptū diximus, penitus omittendū est: ubi cum ædificarent sancta sanctorum, id est cum fides Christi & sanctorū eius mysteria conderentur, inimici ueritatis, fidei q̄ cōtrarij, qui sunt sapientes huius seculi, uidentes absq̄ arte grāmatica & peritiā philosophica, cōsurgere muros Euangelij, uelut cum irrisione quadā dicūt per facile hoc posse destrui calliditate sermonum per astutas fallacias & argumenta dialēctica. Hæc interim quantū breuitas potuit pati de assumptis exēplis dicta sufficiant. Nūc iam ad propositū reuertamur. Videtur ergo in Cantico canticorū præceptū dari ab sponso amicis sibi uirtutibus, ut capi ant & arguant contrarias potestates, quæ insidiantur animabus hominum, ne exterminant eorū initia fidei, florem q̄ uirtutum sub specie secretæ alicuius & occultæ sapiētiae, quæ quasi uulpes in foueis, ita in his hominibus qui semetipsos ad hæc sectāda præbuerint, delitescunt, Et quo facilius confutari possint & argui, dum parua sint uulpes ipsæ, & initia habent pessimæ persuasionis, capi iubentur. Nam si forte creuerint, & maiores fuerint uulpes effectæ, iam nequeāt ab amicis sponsi, sed ab ipso fortassis sponso solo capi poterūt. Sed & sancti quiq̄ doctores & magistri ecclesiæ, sicut acceperūt, potestatem calcādi super serpētes & scorpiones, ita accipiunt potestātē etiam capiendi uulpes. Sic enim data est potestas eis super omnē uirtutē inimici. Vna sine dubio ex cæteris inimici uirtutibus est uulpes, quæ exterminat uineas florētes, quæq̄ cum adhuc parua est, capi iubetur, sicut & in centesimo trigesimo septimo psalmo, beatus dicitur qui tenet & allidit paruulos Babylonis ad petrā, nec permittit sensum Babyloniuū crescere in semetipso & augeri, sed cum est in initijs allidit eū, & tenet ad petram: tunc em̄ facile perimitur. Sic ergo ordo explanationis percurrat. Capite uulpes nobis pusillas, quæ uulpes exterminant uineas florentes. Quod autē dicit nobis, hoc est mihi sponso & sponse: uel certe mihi & uobis qui estis sodales mei. Potest autem & ita accipi: Capite nobis uulpes: & post distinctionē dici, pusillas exterminantes uineas, ut pusillas nō tā ad uulpes q̄ ad uineas referamus: ut uideantur pusillæ quidē uineæ exterminari posse: id est parua quæq̄ animæ, & initia habentes, nō firmæ & robustæ lædi posse à cōtrarijs potestatibus. Sicut in euangelio dicitur: Si quis scandalizauerit unū de pusillis istis. In quo ostēdit, quia scādalizari nō potest grandis & perfectæ, sed pusilla & rudis anima, sicut in psalmo dicitur: Pax multa diligentibus nomen tuum, & nō est illis scandalū. Simili ergo exemplo potest uideri, quod pusilla quæq̄ uinea, incipiens uidelicet anima, possit à uulpibus, id est malignis cogitationibus, uel prauis doctoribus lædi, perfectæ uerò & ualida nō possit. Sed si capiantur à bonis doctoribus uulpes istæ, & abijciantur ex anima, tunc proficiet in uirtutibus, & florebit in fide, Amen.

Matt. 18

Psal. 119

## ✠ ORIGENIS ADAMANTII HOMILIAE IN VISIONES ESAIAE.

Visio prima. Et factum est in anno quo mortuus est Ozias rex, uidi dominum sedentem super solium excelsum. Cap. VI. Homilia I.

VANDI V Ozias rex uixit, non potuit uisionem uidere Esaias propheta. Erat enim Ozias peccator, & faciens malignum ante conspectum domini, & agens aduersus uoluntatem diuinæ legis. Ingressus est templum & sancta sanctorum, & ob hoc lepra perlusus in fronte est, ita ut extra ciuitatem uadens inter immundos computaretur. Talem igitur principem animæ oportet mori, ut uisionē dei uidere possimus. Neq̄ enim frustra scriptum est: Et factum est in anno quo mortuus est Ozias rex, uidi dominum. Vnicuique nostrum uiuit Ozias siue Pharo & non suspiramus Aegyptia opera facientes. Si autem moritur, tunc suspiramus, ut in Exodo scriptum est. Si Ozias uiuit, non uidemus gloriam dei: si aut moritur, tunc uidemus statim ut moritur Ozias gloriam dei, tātum hoc sit ut regnet in nobis sermo eius qui dixit: Ego autē constitutus sum rex ab eo, & non regnet ira. Est quidem & peccati rex. Apostolus id